MARTINI SCHOOCKII

De STERNUTATIONE

Tractatus copiosus:

Omnia ad illam pertinentia, juxta recentia inventa proponens.

Editio altera, priori & emendatior & uberior.



AMSTELODAMI,

Apud PETRUM VANDEN BERGE, in Vico *de Heeregracht* sub signo montis Parnassi, Anno M DC LXIV.

Navem agere ignarus navis timet ; abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare : quod medicorum est,
Promittunt medici : tractant fabrilia fabri.

Monitum est Horatii Flacci lib. 2. ep. 1. quod meritò mihi applicari posse, agnoscere debeo, siquidem oblitus videor esse præcepti Apostoli Pauli, qui vult quemque τὰ ἴδια πράττειν, 1 Thess. 4: vers. 11. & negligere veterum præceptum, à Cicerone quoque lib. 1. Tusc. Quæst. Senario hoc comprehensum:

Quam quisque norit artem, in ea se excerceat.

Eoque, si ita quis in me insurge-

* ret

ret: *Quorſum, tu Philoſophaſter, non tenes te in tua pellicula, & modo audacem falcem in Theologicam meſſem mittis, modo falſi arguere laboras, quæ Juriſconſultorum filii oracula exiſtimant, nunc vero contra veterum placita illud explicare aggrederis, quod menti humanæ inacceſſum putarunt Medici haud quaquam de Circo Maximo; rem actam agis, & quicquid propoſiturus es, alienæ induſtriæ & diligentiæ debes*; Spartanam equidem tolerantiam mihi imperare deberem, conſcientia prohibente vel contra hiſcere. Veniam nihilominus me conſecuturum exiſtimo, apud omnes æqui & juſti arbitros. nec tamen pro me oſtentabo ſpecioſam illam Polymathiam, quæ quibuſdam idem præſtitit officium,

cium, quod Phryne Athenis quondam Pisistrato. quàm curta mihi supellex sit, per Dei gratiam novi: nec quisquam plura desiderare potest in meis scriptis, quorum pleraque haberi debent partus numerii, (quod currente prælo plerumque concinnentur & absolvantur) quàm ego ipse in illis desidero. Atque utinam, quæ deesse scio, atque desidero, pariter quoque supplere liceret! Verrucas & nævos in iis observo plures, non æque vero in proclivi est, medicam manum adhibere, & plane obliterare. Interim hoc de scrutis hisce librariis profiteri audeo, uni meo ingenio non esse accepta ferenda: confero perpetuò omnes auctores, quos Bibliotheca, cujusque argumenti ratione, suppedi-

tare poteſt : quorum ſententias cum partim componere, partim diſcutere ſolitus fuerim, aliam laudem non ambio, quam judicii, cujus calculum an male perpetuò collocaverim ; judicent quibus cor Zenodoti & jecur Cratetis contigit. Scio, non modò hoc ſeculo, verum ſuperioribus quoque, præ aliis inter eos, qui eruditi audiunt, æſtimari conſueviſſe, quos commendat illa ingenii dos, quæ à Græcis vocatur ἀγχίνοια, à Latinis *ſubtilitas*; juxta quam ſciant novas nec unquam auditas ſententias excogitare, & quàm plauſibilibus rationibus munitas, idoneè ad perſuadendum proponere ; qui ſi mentem ſuam per Mathematicas quoque diſciplinas (hoc volebant Pythagorci & Academici)

ci) exacuerint, humanam ſortem videntur exceſſiſſe, quòd, quæ proponunt dogmata, totidem oracula videantur. Sæpe tamen hoc ingenii acumen, ideo, quod judicio non regatur, quàm noxium deprehenditur. Unde homines ſolertiſſimos propter judicii defectum in abſurdiſſima errata incidiſſe videmus. Etenim quæ beneficio acuminis excogitantur, non raro ſunt infirma & futilia, incertaque, quæ ſi habeas pro ratis, cum Ixione nubem pro Junone amplecteris; & aliter fieri non poteſt, quin in errorem incidas. Neceſſum ergo eſt, ante omnia judicii amuſſim adhibeas, quæ potior eſſe debet omnibus præceptoribus: maximè, quòd recte docentium magna ſit penuria. Quicquid aliis videatur, mihi

persuasissimum est, illos ex literis magnam famam sibi polliceri non posse, qui nesciunt recte judicare de illis, quæ aut ex præceptore audiverunt, aut ex libris hauserunt. Judicii verò cos & lima, imo norma quoque Logica est: quam quicunque contemnunt, & tironibus solum committendam putant, ut ut se inferant quoque cum Catulliano Suffeno, semetipsos privant utilissimo sciendi instrumento; juxta quod si ingenii monumenta, Æternitati destinata, ordinarent morose, non minus Libitinæ quàm censuræ secura præstarent: quam minus eruditi quoque acerbe stringere sustinent, quòd, quæ ingeniose sunt inventa, ut plurimum pelluceant, atque liquidæ veritatis fulcris destituantur. Nec

tamen hæc excusare me possunt, sed arguere potius videntur. Verbum enim est Aristot. lib. 1. Ethic. ad Nicomachum : ἕκαστος, κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. *Quæ quisque novit, de iis bene judicat, eorumque æquus est æstimator.* adeoque merito videri possem vapulare à Jurisconsultis &, Medicis, quòd, qui nec Jurisconsulti, nec Medici filius sum, discutere illa præsumam, quæ vel ad Masuri rubricam, vel ad Hippocratis tribunal pertinent. Ipse quoque agnoscerem rubore perfusus, nisi in Pandecte & Codice plurima occurrerent, quorum intellectus postulandus sit è sola Historia Romana : simul Medicina, Naturalis Philosophiæ facem in difficillimis controversiis eflagitaret.

Quod cum circa Sternutamentum, à medentibus alias conſiderari ſolitum, perſuaſum haberem; jam ante quindecim annos, omnia ad illud pertinentia brevi libello complecti, ac difficultates Medico-Phyſicas papavere atque ſeſamo Philologico-Hiſtorico edulcare aggreſſus fui: in multis licet mihi ipſi non ſatisfacerem. ad cerebrum enim quomodo Sternutatio (ibi ſcil. propriam non minus ſedem, quam ſua incunabula habitura) referri deberet, haut quivi liquido cognoſcere; neſcius tamen, quiſnam locus conceptioni & genituræ ipſius deſtinari deberet. Uſque dum mihi ſuccurreret Excellentiſſimus, Celeberrimuſque D. Conradus Victor Schneiderus, Medicus non modo, ſed & Philoſo-

loſophus πολλῶν ἄλλων ἀντάξιος, atque hoc tempore lucidiſſimum Academiæ Witebergenſis ſidus, cujus ſcriptum de Catarris, ſane ad unguem factum & dignum quod in arce prope Phidiæ Minervam collocetur, cum ſuperiori anno forte fortuna nactus eſſem, exilii præ gaudio, cum Archimede proclamando εὕρηκα, εὕρηκα. Nec mora, quod otii aliquid obtigiſſet, prius ſcriptum ad incudem revoco, ſententiam antiquam & mihi cum multis magnis viris communem atroci ſtylo confodio, atque meliorem Opuſculi partem refingo. Quum enim uni veritati ſacramentum dixerim, omniaque præ illa vilia ducam, nullius opinionis tam pertinax ſum, ut non paratus ſim illam mutare & revocare, modo

hæc ipſa pondere ſolidarum rationum inclinetur. Quòd ſimul Typographus occurreret, chartas interpolatas prælo obtuli. Sed, quid accidit? uno alterove folio typis jam exſcripto, offertur mihi Excellentiſſimi Schneideri *liber de Oſſe Cribriformi*, excuſus Witebergæ Anno 1655. titulum ubi inſpexi, rem actam me egiſſe vidi: atque, ubi percurri, quæ vir ſummus juxta ſua principia de Sternutatione commentatus fuit, deteſtari cœpi meam facilitatem in offerendis ad prælum illis, quæ ſatius fuiſſet nonum in annum preſſiſſe. Quantum enim intereſt inter adamantes & viles ſilices, tantum D. Schneideri æra meis lupinis prævalent. Quod tamen alea jacta eſſet, & Typographus indemnis

præ-

præſtari vellet, obſequendum Fato fuit. Ergo, Benivole lector, exhibeo tibi Commentarium de Sternutatione, quem ut cum Dn. Schneideri accuratioribus conceptibus componas, quô noſtra, juxta illos corrigantur, rogo: Si quid hic offenderis à tanto viro omiſſum, quod te oblectare poſſit, lucrum eſſe deputa. Si forte contigerit Opuſculum hoc recudi, ut radiis Schneiderianæ eruditionis atque ἀκριβείας illuſtretur, operam cum bono Deo dabo. Interea vale & fave conatibus noſtris.

Syllabus Capitum.

lenus

Cap. XX.

XXXX

serva-

Cap. XXXVII.

Cap. XLII.

Lecto-

LECTORI SALUTEM.

QUi scripta sua evulgant, eorumque editionem Typographis committunt; si professione Stoici forent, cum librariis nunquam expostularent, illi siquidem Plutarcho teste cap. 25. de Stoic. Contrad. *etiam Solœcismos in scriptis suis admittebant, quorum alios pudebat.* Sed, cum delicato hoc seculo, multi, ex iis quoque, qui docti haberi cupiunt, levibus erratis, & literarum transpositionibus offendantur; non possunt non indignari serio, quorum libros à Typographo ægrotante exscribi contingit. Fatum hoc cum hic libellus expertus fuerit, femur ferio; fero tamen levius, quod videam hanc communem sortem esse omnium librorum, atque usu didicerim, nullum hominem, (si vel instar Argi oculeus totus esset) omnia Præli errata præcavere posse. Ut tibi tamen, mi Lector, ex parte succurrerem, subjeci hunc

SYLLABUM ERRATORUM.

Pag. 3. lin. 11. Ψόφοις. ib. 14. *Gorraeum.* 6.21. *sit aëreum.* & post *cerebrum* notetur colon. ib. pen. *dissimulanter.* 9. 25. *prævideat.* 11. 7. *propius.* 13. 8. *non commendatur.* ib. 9. post *asini*, adde *itemque simij.* ib. 12. *Balana.* 14. 10. *eminus.* 15. 21. *consensu.* 20. 8, *ex quo.* 29. 15. *qua.* ib. 17. *tenuis.* 31. 5. *non occurrit.* 36. 11. *nimietate.* 38. 9. dele, *cum.* 39. pen. *de eo in &c.* 40. l. ult. *confertos.* 42. 11. *Quadrupedia.* 46. 12. *Platoni.* ib. lin. ult. *notat.* 47. 21. *quas.* Post paginam 48. turbatus est paginarum numerus, & redit pag. 45. ib. 19. fit. 48. 20. *medeatur.* 50. 2. *expendere inceperimus.* 51. 27. *emarscescere.* 52. 7. *hac.* ib. 30. *eo attenuato.* 53. 3. *respondeant.* 55. 25. *preparata.* 55. ult. pro *Tertio*, leg. *Secundo.* 58. 13. *Respondeo.* ib. 21. *callumque.* 61. 12. *functionum.* ib. 27. *velliccetur.* & mox: *expultrice* 62. 22. *procuravit.* ib. ult

incommo-

incommodam 63. 17. *precetur* 65. 25. *menſtruorum.* 68. 29. *fieri.* 69. 4. *ilium.* ib. 14. *ille.* ib. 15. *aut.* ib. 85. *incurrant.* ib. pen. *Foreſtus.* 70. 4. *ſubmoveri* 72. 21. *Amatus.* 74. 1. *ſaburra.* 75. 10. *facile.* ib. 27. *acrior.* ib. 30. *efficacia.* 76. 11. *materia.* 78. 6. *pituitariam.* 79. 25. *cœpit.* 80. 9. *cap.* 5. 81. 8. *mitificata.* ib. 21. *verba.* 84. 18. *fœtamque.* 88. 12. *quamdiu.* ib. 20. *longitudine.* ib. 26. *Herniæ.* 89. 9. poſt verba ex re eſt, ſequentia ſunt omiſſa: *Ibid. legere.* Annotatio vero viri experientiſſimi hæc eſt. *Hujusmodi lethales ſternutationes adhuc in duobus aliis peſtiferis obſervavimus. Quamvis ſternutamenta in aliis morbis cerebri & naturæ robur denotent, in peſte tamen exitialia plerumque ſunt & peſtiferum venenum membranis,* ead. p. 89. 14. *cenſuram.* ib. *egregiĳ.* ib. 18. *quoque.* ib. 25. dele *vel.* 90. 14. *ſvieti.* 92. 13. *cucumere.* 96. 10. *quidem.* 98. 7. *ſubtendentes*: & mox, *his.* 108. 25. *οἰδίσ{τ}.* 115. 18. *juvenis.* 134. 14. *apprecationum.* 163. 29. *utpote.* 146. 17. *Huic.* 163. 18. *accuratius.*

Hæc quidem inter relegendum mihi occurrerunt: ſi quæ alia, hic intacta, amplius ſuperſint, illa, ut benivolus Lector, ſuo Marte reſtituere dignetur, obnixè rogatur; ſimul Auctori, qui perpetuo abſens fuit, ignoſcat.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Agitur de Voce. Sternutamentum Græcis eſt πταρμός. Sternutamentum & Sternumentum Latinum eſt, licet illud non agnoſcat Cl. Salmaſius. Sternutatio à Thalmudiſtis diſtinguitur in ſuperiorem & inferiorem. Hæc ut in verecunda, ſubmovetur.

A Nomine, quoniam ſæpe ſervit declarandæ naturæ ipſius rei, non abs re fuerit initium feciſſe. Quod ergo à Latinis *ſternutatio*, vel *ſternutamentum* dicitur, Græci πταρμὸν vocant, à verbo πτάρω, vel πτάρνυμι, quod *ſternutare* ſignificat, quomodo & à *ſternuto* eſt ſternutatio. Ipſum vero *ſternuto*, ſecundum quoſdam eſt à *ſterno*, quod iterum deſcendit à Græco στορέω, vel στρωννύω. Gloſſ. στρωννύω *ſterno*. Iterum, στρῶσις, *ſtramen*, *ſtratura*. Nec inconvenienter *ſternuto* ad *ſterno* refertur, nam ſpiritui occluſo per ſternutamentum, via, alias occluſa, ſternitur. Sal-

masio *Sternutare* & *Sternutamentum* vix Latinum videtur. Ita enim apud illum legas in Observationibus ad Solinum pag. 29. Sternuere *autem* & sternumentum *semper apud Plinium inscriptis; pro quibus ubique* sternutare, & sternutamenta *corrigunt. perperam.* Certe meliores Plinii Codices lib. 28. cap. 8. sic legunt: *Proboscidis tactu dolor levatur, efficacius si & sternuat.* Alias *Sternutamentum* apud eundem Plinium occurrit lib. 20. cap. 12. lib. 28. cap. 6. & cap. 11. & Cornelium Cælsum lib. 2. cap. 8. lib. 3. cap. 18. & cap. 20. lib. 4. cap. 2. Quomodo & in Glossario legas: *Sternutat* πλαρνυται. At in altero: πταρμὸς, *Sternomentum*, *Sternumen*, *Sternotum* non est dubium, quin legendum sit, *Sternumentum*, & *Sternutum*, atque utrumque, *sternuo* & *sternuto*, item *sternumentum* & *sternutamentum* in usu frequenti fuisse. Ebræis sternutare est *Atasch*; unde Thalmudistarum verbale *Ittonsch*, sternutationem notat. Iidem apud Buxtorfium in Lex Thalmudico distinguunt inter sternutationem *superiorem* & *inferiorem*. Inferior est crepitus ventris. De quo sternutamento idem Buxtorfius ex libro ben Syræ cum Comment. Constantinopoli excuso fol. 27. sequentia Latine reddidit: *Quare creatæ sunt sternutationes?* (inferiores scilicet seu crepitus) *Dixit ei; Nisi illæ, essent, homo egereret necessitates suas*

neque

in vestimenta sua. Cum autem homo sentit sternutationes, flatus venientes, abit & satisfacit naturæ, ne pudefiat, & vestimenta sua coinquinet. Sed hæc sternutatio, nimis quam inverecunda, & pertinens ad Musicam foricarum, quibus Stercutius præsidet, submoveri debet.

Caput Secundum.

Sternutatio describitur ex mente Hippocratis, & Galeni, cui per omnia cum Hippocrate non convenit. Item ex mente Aristotelis, Avicennæ, & aliorum.

QUamquam ea, quæ de sternutatione Veteres perhibuerunt, (quibus aliàs, si contrarium nôn suadeat Divina veritas, lubens assurgo) velut oracula admitti non debent, ob illa, quæ distincte postea erunt examinanda; distincte tamen proponenda sunt, ut distincte quoque discuti & examinari queant. Incipio vero ab Hippocrate; primos enim ordines ducere meretur, quòd sit *Omnis Medicinæ parens*, juxta Celsum Procem. lib. VII. imo *maximus Medicorum & hujus scientiæ conditor*, secundum Senecam princ. Epist. 95. Ab eo Sternutatio Aphorism. sect. 7. aph. 51. secundum, Galeni distinctionem ita delineatur

πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς διαθερμαινομένου ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ· ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω, ψοφεῖ δέ, ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν. *Sternutamentum cietur ex capite, cerebro excalefacto, aut perhumectato spatio in capite inani: aër enim intus contentus foras erumpit: strepit autem quia per angustum ipsi est exitus.* Dictum Hippocratis aphorismum explicans Philotheus, non incommode dicit: πταρμός ἐστι ψόφοσις περὶ τὰ ἠθμοειδῆ ὀστᾶ. *Sternutatio est soni strepitus quidam circa ossa ethmoida.* Prolixiorem Aphorismi ejusdem explicationem invenire est apud gorreum Definit. Medicar. pag. 285. ubi, Sternutationem fieri, *ait*, ex capite concalefacto cerebro vel humectato inani, quod in capite est, brevi sententia flatus omnis ortum explicans, nam cum flatus generatio fiat ab imbecillo calore in subjectum humidum, patet eum duabus summis de caussis excitari. In frigidioribus enim naturis ubi non est magna satis vis caloris ad movendum flatum, cerebri concalefactio eum movet; in calidioribus autem, inquibus propter caloris exuperantiam tota flatuum materia discutitur, si cerebro superfluus aliquis humor accedat, cui consequendo impar sit calor cerebri, facile inde ventriculi cerebri, & si quae sunt in eo inania spatia, flatu replentur. Itaque dua

duæ causæ flatuum calor & humor, ab Hippocrate statuuntur, quæ solæ infra cranium positæ Sternutationem *movent*. Cum Hippocrate haut per omnia convenit Galeno, apud quem ad dictum Aphorismum sequentia *offendas*. Non enim omnis (*inquit*) Sternutatio fit calefacto cerebro, vel humectato in capite inani. Pennis enim quidam nares irritantes sternutant: & cum tussi spiritus desubter veniens ad naris meatus, causa fit sternutamenti. Præterea opinari solum aërem, qui ex capite excernitur, esse quod sonat, est manifeste falsum. Nam liquido apparet desubter ex pulmone elatus aër toto se celeriter comprimente thorace. Sed & antecedente inspiratione fieri sternutamentum, natura aggregante aëris copiam ad sternutamenti generationem, iis, quæ dicta sunt, adstipulatur. Solum itaque illud sternutamentum, quod habet suæ generationis principium, naturam appetentem excernere flatuosum spiritum ex capite, hoc modo fit, quem docere aggreditur Aphorismus, neque forte hunc omnem. Nam quod ait, humectato, superfluum est ad sternutamenti generationem. Nam & si aliquis humor in capite superabundat; non facit tamen sternutamentum, nisi in ventum convertatur. Et hoc manifeste videtur in multis, qui licet copiam humoris per nares excernant, non tamen propterea

 necessario

necessario sæpe sternutant. Soli enim ex his ita affectis illi sternutant, quibus mordax est ea, quæ à capite fluit, humiditas, ceu & si quid mordax naribus imponas *Huc usque Galenus.* In tribus vero Hippocratem Galenus reprehendit. *Primùm*, quod dictum hoc non sit generale, sed de solo sternutamento, quod fit vitio capitis intelligant, natura appetente excernere flatuosum spiritum ex capite, nam quæ fit narium titillatione, & aliis causis non fiunt caletacto vel humectato cerebro. *Secundo*, quod asserit, quod strepitus ille fiat solum ab aëre, qui ex capite excernatur, nam liquido dicit apparere etiam fieri propter aërem, ex pulmone elatum universim se comprimente thorace. *Tertio*, quod non sit verum, fieri sternutamentum repleto inani ab humido, quia adhuc oportet, ut illud humidum in flatum convertatur, aut sit aëre, quod stimulet cerebrum, quibus reprehensionibus quia respondet Cardanus in suo Commentario, ideo nihil addo. Quid veri sive in Hippocratis, sive in Galeni sententia occurrat, infra suo loco annotabitur. Ipse quoque Galenus minus sibi constat, nam in *lib. secundo de sympt. causis*, videtur propius ad Hippocratis sententiam accedere, sed ita obscure locutus est, ut dissimulantur voluerit etiam hanc opinionem retinere, cum simul de utroque

egerit

egerit symptomate, quasi ab eodem fonte, proficiscente, licet varia de causa: quia tussis expurgat quæ in pectore, sternutatio, vero, quæ tum in naribus, tum in cerebri ventriculis occurrunt, vulgo excernere videtur. Iuxta Aristotelem lib. 1. de Hist. Animal. cap. 12. Sternutatio est πνεύματος ἀθρόου ἔξοδος. *Flatus coacervati exitus.* Ab Avicenna verò, sive, Aben-Cina lib. 3. fen. 5. Tract. 2. cap. 13. hunc in modum definitur: *Motus proprius cerebri ad expellendum humorem, aut nocumentum aliud, cum auxilio aëris naribus attracti, subitò per viam nasi & oris.* Cui definitioni quantum tribui mereatur, deinceps patebit. Quod ad recentiores Medicos, plerique illorum probarunt Gorræi definitionem, speciatim doctissimus Septalius in Probl. Arist. Sect. 10. Probl. 49. Alii quàm prolixe deduxerunt dictum Aristotelis locum, speciatim Celeberrimus Mercurialis, in eruditis ad illum Commentariis, quæ repetiit in Prælectionibus Pisanis & alibi. A Francisco Vallesio lib. 5. Controvers. Medic. & Philosoph. cap. 17. hac brevi descriptione caussali adumbratur, *Sternutamentum fit, cerebro concutiente se ipsum, simulque constringente Thoracis musculos.* A Capivaccio autem lib. 1. Medic. Pract. cap. 28. plenius adumbratur his verbis: *Sternutamentum est motus pravus cū sono cerebri, dependens ab eius*

expultrice, stimulata à naso, & adiuta à motrice capitis & thoracis. Ac postea plenius inquirit in subjectum & caussas. Aliorum adhuc definitiones proponi possent; sed hæ instar plurium esse possunt. Antequam tamen hoc caput finio, ex re fuerit exhibuisse, quæ habet Doctissimus & Celeberrimus Sennertus. *Qui ita loquitur lib.* 2. *Instit. Medic part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 5. Sternutatio autem excitatur à causa quacunque nares & cerebri illam partem anteriorem ad excretionem stimulante: naturaque ad illam excretionem duplici motu utitur: altero quidem narium & cerebri, quæ molestantur, expultrice; altero vero nervis, veluti longis quibusdam brachiis in thoracem demissis, ut loquitur Galenus 2. de Sympt. causs. c. 5 Per hos enim illum contrahit, per ossa vero, quæ ἠθμοειδῆ vocantur, ipsum emittit spiritum. Quæcunque igitur nares & partes illas anteriores cerebri stimulant atque irritant, causa sunt sternutationis, sive intus in corpore genita sint, sive extra advenerint. Internæ causæ sunt humores acres è capite defluentes. Per Sympathiam etiam interiorum tunicarum accidere sternutatio creditur, ventriculo in intestinis affectis, in cardialgia nimirum, cum lumbrici in intestinis hærent, unde pueri nares fricant, & sternutationem pati solent. Causæ externæ sunt quæ-

cunque

cunque acria, per nares attracta, ut Helleborus albus, piper, pyrethrum & similia: odores item & vapores acres Splendor Solis, & lux nimia oculos offendendo, cum vicinam narium tunicam stimulet, sternutationem excitare solet. *Hucusque Sennertus*: quæ, ut & præcedentia deinceps discutienda venient.

Caput Tertium.

Circa Sternutationem plures, quam videntur, difficultates occurrunt. Homo magis sternutat, quam alia animalia. Sternutant tamen canes, feles, oves, boves, asini, vulpes, & equi. Quorum tamen sternutamentum non tangit Jiob. cap. 39. vers. 23. ut neque Balænis sternutationem propriè dictam tribuit. cap. 41. vers. 9. uterque locus explicatur.

Quanquam videri posset Sternutationis natura, utcunque jam delineata esse, atque aliquis sibi persuadere, haut difficile fore, cognita definitione, ulterius naturam illius cognoscere; plures tamen & majores difficultates se offerunt, quam aliquis facile prævident. Adeo ut Galenum Germanicum, Doctissimum scil. Hoffmannum lib. 5. Instit. Medic. cap.

 36.

36. §. 5. Haut falſum fuiſſe cenſeam, (ita alii tamen judicant) cum vocaret, *Sternutationem, opus tam mirabile, ut Hactenus nemo vel Philoſophorum, vel medicorum, explicarit modum, quo fit.* Quod pace enim qua Veterum, qua Recentiorum, tum Medicorum tum Philoſophorum, dictum ſit, omnia ad opus hoc naturæ pertinentia, nondum ſufficienter excuſſa ſunt. Nec amplius mihi placent, quæ ex mente veterum ante annos quindecim de hac re commentatus fui. Iteratò enim examine inſtituto, & incudi redditis illis, quæ tum in chartam conieceram, multa reformanda viſa ſunt. Quòd ut auſpicatò fieri poſſit, initio conſiderandum venit Sternutamenti ſubjectum, quod priuſquam definitè ratione certi membri in corpore inquiro, ſubjectum recipiens quod, (ut in Scholis loquuntur) ante omnia conſiderandum eſt, & conſtare debet, quænam ex Animalibus Sternutationis capacia ſint. Ariſtoteles Problem. Sect. 10. probl. 49 quærit: *Cur animantium homo maxime ſternutat?* quam quæſtionem iterum movet Sect. 33. Probl. 11. quomodo & Alexander Aphrodiſæus lib. 1. Problem, 144. quærit, *Cur homo amplius, & crebrius, & vehementius,* (μᾶλλον καὶ συνεχῶς καὶ σφοδρότερον) *quam cætera animilia* (ὑπὲρ πάντα τὰ ἄλογα ζῶα) *ſternutat?* Uterque ſcil. qua Ariſto-

teles

teles qua Alexander præſupponunt, præter hominem inveniri alia animalia, quæ ſternutent. Quæ & qualia tamen illa ſint, vix definite dici poteſt. Animalia nobis domeſtica, canes & feles ſternutare ſæpe notamus, maxime cum gravedine laborant & proprius ad focum accedunt. In ovibus & bobus, nonnunquam etiam in equis, ſed quando ſubeſt morbus, idem Agricolæ notarunt. De equo bellatore Jiob. cap. 39. verſ. 23. juxta Verſionem Iunii & Tremellii ita legitur: *An tremefacies eum ſicut locuſtam? gloriam ronchi ejus terrore?* Quæ poſtrema verba admodum torſerunt Interpretes. In Ebræo eſt: הוד נחרו אימה Græcus Interpres habet: *δόξα δὲ στηθέων αὐτοῦ τόλμη; gloria autem pectoris ejus audacia.* Hieronymus ut putavit נחר ſignificare *nares*, ita vertit conſentiente Chaldæo, *gloria narium ejus terror.* Quem ſequuntur Pagninus, Munſterus, Cajetanus, Oecolampadius, Tigurini, Caſtalio, Mercerus, Arias Montanus, Steuchus, Oſiander, Borrhaus, & Druſius. Inter quos tamen non convenit, qua occaſione circa equum *narium* mentio fiat. Quidam ferociam equi hac locutione indicari putarunt, unde & Oppianus ac Columella in equo generoſo *ῥῖνας ἀραιὰς*, ſeu, *nares apertas* requirunt; ſoletque ejus notæ equus per nares emittere copioſum fumum velut ani-

mositatis indicem. Virgilius: *Collectumque premens volvit sub naribus ignem.* quod imitatus est Silius Italicus lib. 17. Punic.

Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus hasta volans.

Inde Castalio apud Iiobum interpretationi suæ, *cum terror sit ejus naribus decorus*, hoc scholion adjungit: *ad formidabilia fumat generose naribus, nihil formidans.* Quo & spectare videntur Tigurini *cujus nares ferociam spirant* Alii tamen hæc de hinnitu accipiunt. Pagninus enim atque Oecolampadius verterunt; *sonus narium ejus.* Marinus expresse quoque *fremitum* habet. Nec alio respexisse videntur Tremellius, Schindlerus, Buxtorfius, & Piscator: nisi quod pro fremitu *ronchum* substituant. Belgæ nostri habent: **De pracht van sijn gesnuyfs is eene verschrickinge.** Sed, ne videamur *ἀπροσδιονύσως* ad hunc Scripturæ locum dilapsi esse, quæritur, an hic *ronchus* non sit *sternutatio*? Occasio dubitandi est, quod Munsterus Ebrææ linguæ consultissimus interpretationi suæ, *virtus narium ejus*, hanc explicationem addat: *Id est, fremitus & sternutatio ejus.* Mercerus licet minus commode הוד explicet per *vehementiam*, proxime tamen hanc Glossam superaddit: *Vehemens sonitus, quem naribus sternutans edit, terrorem affert omnibus, qui audiunt.* Eoque existimare aliquis posset, Deum

Deum apud Jiobum equi *Sternutationem* tangere. Sed revera equus commendatur hic a ſternutatione, ſed ab hinnitu. Unde Abeneſra ait נחרו hic idem eſſe, quod apud Ieremiam נחרה ac ſubiungit iis ſignificari *vocem hinnitus equi.* Adeo, ut licet equus ſternutet, illius tamen ſternutamenti Iiobus non meminerit. Vulpes quoque, & aſini ſternutare perhibentur, & forte plura ex animalibus quadrupedibus. Non tamen aves ſternutare putem, aut, maris incolas piſces. De ſola Balænæ dubium eſt. De ea ſic legitur Jiobi cap 41. 9. עטישתיו תהל אור; quæ LXX. verterunt : ἐν πταρμῷ αὐτῦ ἐπιφαύσκεται φέγγος. Hieronymus, qui creditur Auctor vulgatæ verſionis: *Sternutatio ejus ut ſplendor ignis.* Cui & conſentiunt omnes ferme Interpretes : qui non potuerunt non quoque Sternutamentum Balenæ, ſeu Leviathan tribuere, quôd illud notet vox עטישה cæterum obſervandum, non modo à Rabbinis, ſed (fidem faciente hoc loco) ipſa Sacra Scriptura, vocem Sternutationis ſæpe per ἀκυρολογίαν, impropriè accipi. Quomodo & Galenus in librum ſextum Hippocratis de Morbis vulgaribus, Comment. 2. Text. 32. ex aliorum opinione dicit, *Sternutationem appellatam eſſe eructationem*, & in univerſum *omnem excretionem eructamentum appellari*

posse : *quaratione Poëtæ dixerunt mare er-ctare foras* ; *cum æstuat* : ut Maro lib. 6. Æneid. de Acheronte dixit,

——*Vastaque voragine gurges*
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

Atque sic Balæna, seu Leviathan, dicitur Sternutare ut splendor ignis, quòd attractam immensam aquarum vim, non modo eructet, sed reflando ingentes quasi nimbos, & sole splendente enitius cum scintillatione apparentes, evomat. Isidorus lib. 12. cap. 6. *Balænæ ab emittendo, & fundendo aquas vocatæ : cæteris enim bestiis maris altius jaciunt undas* : *βάλλειν enim Græcis emittere dicitur.* Peculiare hoc maxime est illi Balænæ generi, quòd Physeter, sive *Flator* dicitur. Plin. lib. 9. cap. 4. *In Gallico Oceano Physeter ingentis columnæ modo se attollens, altiorque navium velis, diluviem quandam eructans.* Strabo sub finem lib. 15. Geograph. describens Historiã sinus Arabici & Nearchi navigationem, hæc inter alia habet : *Plurimum eos turbaverunt Physeterum magnitudines, fluctum maximum & confertim cum caligine tanta exsufflationibus suis excitantium, ut proxima etiam quæque conspici non possent.* ῥοῦν ἀπεργαζομένων, ὥς τε τὰ ποδῶν μέσην μὴ ὁρᾶσθαι. Atque hoc sensu non alio, balænæ in Sacra Pagina Sternutatio tribuitur. Convenienter Interpretes Belgici in suis Annotationibus : Door sijne

nie-

nieſingen] Verſtaet daer mede het ſnuyven van den Leviathan/ als hy het Water opwaert pruyſt/ ende daer mede een glants/ ende ſchijnſel maeckt over Zee. Quæ Annotatio utique præferri meretur illi, quam habet Munſterus, ad verba dicta hæc commentans :- *Sternutatio ejus eſt tam vehemens, ut putes ex anhelitu ejus fumum emitti & ignem accenſum.* Melior quoque hac Tremellio Iuniana: *Quum natans anhelat, & obviarum undarum turbines volvit, tum retecti oculi illius fere emicant.* & ſic patet quoque, quid exiſtimandum ſit, de Balænarum ſternutamento.

CAPUT QUARTUM.

Sternutatio ſtationem ſuam in capite potiſſimum habet: prout gnarum fuit Hippocrati & Ariſtoteli: quem Mercurialis inconvenienter arguit ut ingratum contra Hippocratem. Ex concenſu afficitur quoque Thorax: quod videntur voluiſſe Galenus & Capivaccius: item Peritonæum & Ventriculus.

UT ex ſuperioribus conſtat, quænam ex animalibus ſternutent; ita ante omnia, quò veritas dilucide proponi poſſit, conſtare

constare pariter debet in quanam corporis parte stationem potissimum habeat. Atque hic non convenit inter Hippocratem, & Galenum. Hippocrates, cui Aristoteles accedit; (ut patet ex illis, quæ dicta sunt supra cap. 2. stationem illi assignat in Palladis arce, sive, capite. Thoracis actionem statuit Galenus. Ut non solum videre est in Commentario antea exhibito ad dictum Hippocratis Aphorismum, verum etiam cap. 4. lib. 2 de Causs. Symptom. existimat siquidem ad sternutamentum non solum caput, verum etiam per musculos suos thoracem concurrere, fierique attracto spiritu à pulmone. Galeni sententia arrisit plerisque qui eum in Medicina ducem sequuntur, nominatim Capivaccio lib. 1. Med. Pract. cap. 28. jam antea quoque adducto: ubi, ut rationem reddit, cur definitioni suæ addiderit hæc verba: *Adiuta à motrice capitis & Thoracis*; ita proxime sequentia subjicit: *Hoc colligitur è cap. 4. lib. 2. de caus. sympt. ubi vult Galenus ad sternutamentum concitandum, caput concurrere, & per se, id est, per musculos capitis: & per nervos pectoris, ac proinde per musculos pectoris. Unde Hippocrates aphor. 51. sect. 7. statuit, aërem sonantem non modo prodire è capite, sed etiam ab infra, & proinde è thorace. Quare cum Avicenna concurrit motrix capitis, ad omne sternutamentum: & motrix thoracis ad perfectum*

fectum sternutamentum. Quanquam autem, ut postea, patebit, Thoracis, maxime in sternutatione vehementiori, quædam partes sunt, ea fit tamen potissimum ἐκ κεφαλῆς, sive, *ex capite*, ut dicebat Hippocrates in famoso illo Aphorismo LII. Sect. VII. quæ & sententia est Aristotelis, & quidem constans, ut liquet ex Sect. Probl. XXXIII. Probl. 4. 7. 6. & 15. ubi expresse statuit sternutamentum esse actionem solius capitis Aristotelem hoc nomine notat doctissimus Mercurialis in Comment. ad d. Aphor. non quidem erroris, aut ignorantiæ illum arguendo, sed animi ingrati. Hoc enim volunt hæc ipsius verba: *Atque hæc est illa Hippocratis Philosophia, quam accepit ingratus Aristoteles, nec unquam illius nominatione gratias ipsi egit.* Quasi vero non eadem Aristoteli, viro perspicacissimi ingenii in mentem venire protuerint, quæ Hippocrati? aut, mox haberi debeat ingratus, qui, suppresso nomine, alterius sententiam pro sua adoptat? Galenus vero non minus ab Hippocrate, cujus aliàs admirator maximus erat, quam etiam ab ipso Aristotele in alia omnia discessit: cæterum in hoc fallsus fuit quod non distinxerit inter verum attrahendi protrudendique principium, illudque quod solum ex consensu concutitur. Enimvero verum attrahendi ac protrudendi principium in capite occurrit:

ex consensu vero concutitur maxime thorax, veluti etiam universum corpus. Ab hac conciliatione non longe abit Sennertus, quando lib. 2. Instit. Med. parte 3. sect. 1. cap. 8. ad sternutationem præter cerebri motum principaliter, secundario quoque motum thoracis concurrere statuit. Ut vero per consensum inter sternutandum Thorax afficitur, sic etiam notabiliter peritonæum atque intestina: unde per validam sternutationem sæpius Peritonæum scrotumve est disruptum, & simul intestina delapsa; adeo ut procurata fuerit Hernia incurabilis. Per experientiam quoque constat, ventriculum ex consensu affici in sternutante validius; unde & illi, qui cardialgia laborant, subito quandoque levati fuerunt, per vehementiorem sternutationem materia in ventriculo usque adeo concussa, ut minus arcte se illi potuerit insinuare, & consequenter quoque, neque tantas molestias exhibere.

CAPUT QUINTUM.

Auctor amore veritatis priori suæ sententiæ renunciat: atque ut probet deinceps sternutamentum neque concipi, neque sedem habere in Cerebro, sex Aphorismos cum suis Consectariis proponit.

STernutamentum quomodo ad caput, & ad

& ad Thoracem, pro diverſo reſpectu dici poſſit pertinere, ſuperiori capite oſtendimus. Deinceps, priuſquam ad alia nos convertere poſſumus, conſtare debet in quanam capitis parte dici poſſit ſtabulari eo ſcil. tempore quando concipitur, & in lucem editur. Atque hic initio libenter fatemur, nos amore veritatis priores commentationes iugulare debere & ex aliis hypotheſibus, certioribus Principiis ſuffultis, progredi. Olim nimium detulimus antiquis Medicis, & tuto nos incedere putavimus, ſi eos duces ſequeremur. At, nimium nos credulos fuiſſe, deinde didicimus. Diligentes obſervationes virorum vere egregiorum, & in ſacris Anatomicis exercitatiſſimorum, calculum reducendum eſſe monuerunt. Quod, an cum ratione factum fuerit, arbitrari poterunt quibus hæc diſcutere placuerit. Priuſquam vero meam ſententiam propono, quædam antea præmittenda ſunt, Veterum opinioni dijudicandæ & explicandæ ſervientia. Quæ, ad modum Aphoriſmorum, ſi antea & propoſita & probata fuerint, illorum definitiones ſupra propoſitæ, & dijudicari poterunt, & via ſimul ſterni ad veram ſententiam proponendam. I. Nec os *ἠθμοειδὲς αὐτοῖς ἢ ἠθμοειδὲς dictum*, ſive *cribriforme*; nec os *Cuneiforme, aut magna aut parva foramina habet*, Probat hoc poſt Veſalium, Columbum, Fallo-

Fallopium, Bauhinum, Riolanum, & Rolfincium vir vere singularis καὶ ἰητρὸς καὶ φιλόσοφος πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων *D. Conradus Victor Schneider*, apud Witebergenses meritissimus & Celeberrimus Medicinæ Professor in Peculiari libro de Osse Cuneiformi scripto, cujus summam exhibuit in elaboratissimo Opere de Catharris, & quo nos plurimū pro fecisse, grati profitemur. *Consectarium prius*: Ergo neq; per os alterutrum, neq; etiã per utrumq;, pituita, vel materia Catharrosa defluere potest: speciatim ad nares per illas vias non defertur. Recte enim excellentissimus Rolfincius apud D. Schneiderum lib. 1. cap. 6. pag. 241. *Ossis Cuneiformis vacuum semper deprehendimus utrumque sinum: neque neutrum in narium pervium amplitudinem. Foramina quædam nonnunquam adparent, sed non sunt pervia*: συρίγγες εἰσὶ οὐ τρήματα, *cavernæ sunt non foramina. Consectarium posterius*: Aër respirando attractus nec per foramina ossis cribriformis in cerebrum pervenit; neque etiam per foramina Ossis Cuneiformis. Prius valide astruit idem Dn. Schneider lib. 2. de Catharris Sect. 2. cap 1. posterius vero cap. 2. ejusdem Sectionis. 11. Aphorismus hic esto: *Quanquam multi qua ex antiquis, qua ex recentioribus existimarunt cerebrum instar cordis moveri, probabilior tamen est eorum sententia, qui illud quiescere autumant. Consectarium*: Eo-

que

que notari nón poteſt in Cerebro διαστολὴ & συστολή: nec dici poteſt per ſui compreſſionem materiam noxiam excludere. III. Aphoriſmus: *Dura membrana, accurate loquendo, non ſpectat ad cerebrum, ſed eſt, quaſi interius pericranium, atque eſt adeo dura & tam craſſa, ut humor per eam meare non poſſit: cumque arctiſſime Cranio agglutinata ſit, non occurrit cavitas, quæ recipere poſſit humorem inter eam & Cranium defluxurum.* Fuſius hoc probat idem Schneiderus lib. 2. de Cathar. Sect. prima, cap. 2. *Conſectarium*: Ergo non eſt veriſimile ibi contineri flatuoſam aliquam materiam, quam cerebrum, ſe conſtringendo, laboret effurcillare & expellere. IV. Aphoriſmus: *In anterioribus cerebri ventriculis, nequaquam aut pituita, aut ſpiſſior aliquis humor, nedum acris & vellicans, continetur.* Hoc ipſum prolixe probat Schneiderus ſæpius ad partes vocatus d. lib. 2. ſect. prima, aliquot capitibus. *Conſectarium*: Ergo neque ibi deliteſcit humor aquoſus, qui poſſit attenuari atque in flatus diſſolvi. V. Aphoriſmus: *Glandula pituitaria, quæ neque cava eſt, neque pituitam aut ſpiritus continet; ſed peculiari membrana veſtita vaſa ſtabilit; pituitam non trajicit.* Quod prolixe probatur ab eodem Auctore, aliquoties citato libro ſecundo, Sect. I. capite XV. & XVI. *Conſectarium*: Ergo nec ipſa Pituitaria glandula ſufficit pituitoſis humori-

humoribus attenuandis atque in flatus resolvendis; multo minus iisdem discutiendis & expellendis. VI. Aphorismus: *Cerebrum, nec est simile Cucurbitæ vel hortensi vel ventosæ, ut instar alterutrius sive vapores, sive humores attrahat: nec etiam glandulæ, spongiæ, aut fungo humores imbibenti: nec soli vapores attrahenti: nec Tecto summo ad quod fumus fertur: nec denique Alembico, ad cujus quasi capacitatem pertingentes vapores in aquam resolvi debeant.* Quæ omnia diffuse & sufficienter tum deducuntur, tum astruuntur ab eodem Schneidero, adducto multoties libro secundo, Sect. II. cap. 3. 4. 5. 6. *Consectarium*: Atque, posito hoc fundamenro, certò hinc colligere licet, falsum esse, quòd hepatis, lienis, & ventriculi vapores calore ad supremitatem cerebri & cranii subvecti, rursum frigidate cerebri, cranii suturarumque condensentur, & condensati deorsum ferantur: nisi forte antea fuerint attenuati, atque per motum aut cerebri, aut vim aliam majorem discussi. Præcedentes Aphorismos, ordine â nobis collectos & digestos, prolixe probare noluimus, quod abunde hoc factum fuerit â Schneidero: cujus eruditissimum librum de Catharris, superiori demum anno vulgatum, absit, ut aut compilemus, aut eruditorum manibus excutiamus.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Ex principiis, superiori capite propositis, probatur. Sternutationem nequaquam Cerebri affectionem censeri posse, speciatim sternutamentum non provenire à motu ipsius depravato.

QUæcunque superiori capite Aphoristice à nobis κατ' ἄρσιν fuerunt proposita; illa convenienter servient discutiendæ receptæ opinioni de Sternutatione, adductis variis qua antiquis qua recentioribus Auctoribus, κατ' ἐπιτομὴν à nobis propositæ supra cap. 2. in qua opinione quænam veniant cum ratione arguenda colligi poterit ex subsequentibus Aphorismis ordine pariter proponendis; atque astruendis partim ex fundamentis jam jactis, partim per rationes dilucide proponendas. 1. Aphorismus. *Sternutatio non fit in cerebro ipso, ejus humido aut resoluto, aut etiam per vim majorem excreto.* Patet ex antecedentibus. Nam intra cranium non occurrit cloaca, aut pituitam, aut spissos humores continens; & per consequens neque datur ibi materia humorum, qui possint resolvi, & post resolutionem discuti. Nemo vero sanus dixerit, humidũ ipsius Cerebri, per validam sternutationem, ubi antea attenuatum fuerit, discuti: neque

neque enim hoc fieri poſſet citra inſignem cerebri labefactionem, atque ingens periculum ipſius ſternutantis. II. Aphoriſmus: *Humor reſolutus, qui per ſternutationem diſcutitur, non delituit antea intra duram matrem atque Cranium.* Manifeſtum hoc eſt ex præcedentibus; intra duram matrem arcte cranio cohærentem talis ſaburra colligi non poteſt: nec, ſi modò ibi collecta foret, attenuari poſſet citra evidentem noxam: multo minus diſcuti citra periculum rupturæ, obventuræ duræ matri: dici quoque non poteſt, qua ratione materia excernenda, per nares erumpere poſſet. III. Aphoriſmus: *Nec cerebrum per ſe, dum peragitur ſternutatio, materiam humidam extenuatam expellit; neque ſubſidio aëris per nares attracti: neutiquam verò eandem materiam per viam naſi expellit.* Aphoriſmus hic oppoſitus eſt definitioni Aben-cinæ, propoſitæ ſupra cap. 2. &, quæcunque in præſenti Aphoriſmo dicuntur, dilucide patent ex principiis jam antea propoſitis. Nam I. quomodo cerebrum, cujus nullus motus eſt, & quod quieſcit naturaliter, talem materiarum expellere poſſet? 2. Aër in ſubſidium neutiquam vocari poteſt, quum, ut jam antea oſtenſum fuit, ad cerebrum, quando reſpiramus, neutiquam deferri queat. 3. Quum non detur via prope nares, per quam materia ejuſmodi excer-

excerni & expelli possit, frustra quoque sollicitantur. IV. Aphorismus: *Cerebri ventriculi, neque humore aqueo, neque etiam flatu replentur ad hoc, ut utrumque, qua aqueus humor, qua flatus, sternutando, his ipsis ventriculis per nares excutiatur.* Quæ hic dicuntur, pariter manifesta sunt ex præcedentibus. Quum enim cerebri ventriculi, à natura non sint ordinati, ad hoc, ut officio cloacæ, aut receptaculi fungantur, in quo colligantur humores, qui per attenuationem rarefacti, ordinariò sternutando excernantur, frustra quoque omnes illi sunt, qui sternutamenti materiam in iis recondi opinati fuerunt. Si hic colligeretur ejusmodi humor, multa incommoda, cerebro non minus gravia, quàm hominis vitæ præjudiciosa, procurari deberent: siquidem colligi ibidem non posset, nisi graviter simul affecto cerebro, si non putrefacto: quemadmodum patuit in dissectionibus cadaverum variorum. Non valet vero consequentia, ab eo, quod præternaturale est, ad illud quod naturale. Sternutamentum naturaliter accidens, ut hic potissimum considerare instituimus; ita importune sollicitantur illa, quæ non nisi præter naturam accidere solent. V. Aphorismus: *Cerebrum quum non habeat proprium excrementum, quod attenuatum, per sternutationem excerni debeat; illud neque sternutando excernere labo-*

 rat.

rat. Antecedens licet ex parte colligi possit ex principiis, Aphoristice superiori capite propositis; ex re tamen est consulere D. D. Schneiderum, qui hoc non minus prolixe quàm solide probat lib. 3. Sect. 1. cap. 5. de Catharris. Quòd si verò Cerebrum nihil humoris excrementitii proprii habeat, & consequenter quoque nullibi recondat; quorsum laborabitur de illius excretione, & sollicitabitur ejusdem ad quietem facti vis expultrix, à qua tum sternutamenta cieantur, tum etiam mediantibus illis, id, quod noxium & excrementitium est, exterminetur? VI. Aphorismus: *Quum cerebrum ad quietem sit factum, nec motum habeat naturalem, frustra sternutamentum refertur ad motum ejusdem depravatum.* Antecedens non minus patet ex capite praecedenti, quàm etiam ex illis, quae ad modum conclusionum, pro Sternutationis hypothesi, hoc capite proponere caepimus. Quòd si verò omni motu naturali destitutum sit, frustra est Vallesius cap. 2. adductus, dum sternutationem ad motum ipsius deprevatum, aut vitiosum refert. Quod si verum esset, nunquam ulli sternutamentum accidere posset, nisi Cerebro praeter naturaliter affecto. Quod nullus tamen dixerit, cum singulorum ferme hominum propriis experimentis adversetur: quibus exploratum est, quòd post sternutamentum

quoque

quoque crebrius citra ullam cerebri noxam, melius habuerint. VII. Aphorismus: *Quum nulli sint meatus aut in osse cribriformi, aut cuneiformi, per quos vel aër ad cerebrum deferri possit; nequaquam odores, quorum vehiculum* (ut alibi ostendemus) *est Aër eodem deferri poterunt: & consequenter licet constet, odoribus sternutamenta provocari;* (prout distincte postea examinabitur) *non tamen inde colligi potest, in ipso Cerebri cavo aliquid delitescere, quod aëre odorifero irritatum, sese componat ad excretionem.* In ossibus, quorum fit mentio, nullas rimas aut cavitates notari, Capitè præcedenti supposuimus ut certum: nec non, quòd respirando aër non deferatur ad ipsum cerebrum: Unde, non potest non hoc consequens colligi, neque ipsos quoque odores ad cerebrum deferri, quum eorum vehiculum sit aër. Velim tamen consuli de illo D. D. Schneiderum, qui hoc egregie expendit lib. 2. Sect. 2. cap. 1. Quod si vero ad ipsum cerebrum odores non deferantur; non possunt quoque sive cerebri tunicas, sive ipsum cerebrum sive humores in cavo illius stabulantes, irritare, & simul sternutationem excitare. Ex his breviter propositis, quivis videt quantum tribuendum sit, illis sive definitionibus, sive descriptionibus sternutamenti, capite secundo Historicè propositis.

CAPUT SEPTIMUM.

Sternutamenti materia, quæ ſternuendo excutitur, continetur potiſſimum in membrana, quæ nares ſuccingit: Collecta antea in tunica pituitaria anteriori.

IN ipſo cerebro ſtationem Sternutamento aſſignari non poſſe, abunde ex præcedentibus patet; nec tamen extra Caput quærendum eſt: Unde Ariſtoteles ſuperius dixit, nulla cerebri, imo ne quidem capitis mentione facta, quod ſit ἀθρόου πνεύματος ἔξοδος; licet alibi, ut poſtea patebit, quando de ſede ipſius loquitur, κεφαλῆς, ſive, *capitis* meminiſſe conſueverit: atque hæc videri poſſet ratio, cur Gorræus, ſupra quoque adductus, dixerit cauſſas Sternutationem provocantes, infra cranium eſſe conſtitutas: niſi pariter exiſtimaſſet, eas vim ſuam exerere in ſternutamento provocando, uſque ad ipſum cerebrum. Quo vero ſtationem ſuam ſternutamento aſſignemus, diſtinguendum eſt inter locum è quo proxime elicitur, & quaſi provocatur, & locum, in quo continetur materia, quæ ſternutando diſcutitur, atque ut modo vidimus, ab Ariſtotele vocatur πνεῦμα ἀθρόον. Locus, è quo proxime elicitur, per materiæ conci-

cita-

citationem, est interior narium membrana, de qua ita Bartholinus lib.3.Instit.Anatom. cap. 10. *Tunica nares succingens à dura matre est, & communis ori, palato, linguæ, laryngi gulæ & ventriculo; sed in naribus tenuior est, & exquisiti sensus; nam excitata sternutationem facit, multis foraminibus ad os cribrosum pertusa est.* Eandem ita describit Riolanus lib. 4. Anthropographiæ cap.6. *Nasus internus complectitur membranam musculosam pinnas narium constringentem & membranam, quæ totam narium capacitatem oblinit. Oritur à crassa meninge per foramina ethmoidis erumpente.* Similiter Spigelius lib. 10. de Hum. corp.fabr. cap. 10. *Membrana, que interius nasi foramina investit, acutissimum habet sensum, tenuis, & rubicundi coloris. Hæc, quo cerebro vicinior sit, maximeque circa elatiorem nasi regionem sensum acquirit exquisitiorem. Mox vero, cristosum os succingit, ac foraminulis totidem, quo ipsum, pertunditur, per quæ mucosus humor gravedine presso capite, exstillat, vacuaturque.* His sociandus Nathanaël Highmorus, qui in Disq. Anatomica lib.3.cap.ult.hæc habet: *Narium amplitudo, seu, cavitates tunica, à crassa meninge per foramina ossis Ethmoëidis erumpente orta, succinguntur, & tunicæ oris, palati, linguæ, laryngis, Oesophagi & ventriculi communis est; & hic exquisito sensu donatur, ita ut vel levissimis irritata sternutatio statim fiat.* Locus

cus verò ubi materia hæc, Sternutamento destinata, proprie atq; velut in receptaculo colligitur, est tunica illa, quam excellentissimus Dn. Schneiderus lib. 3. de Catharris Sect. 2. cap. 2. vocat *tunicam pituitariam anteriorem*: cujus situs ut cuivis innotescere possit, audiat eundem eodem loco, pag. 499. & seq. *Hoc integumentum* (inquit) *quam optime potes oculis, manibusque contrectare, si invertas caput, maxillam inferiorem amovendo, & mox perfringasque, & avellas quartum os maxillæ superioris. Quo facto, nares incidas utrinque ac diducas. Extrema hæc membrana est fungosa sublivida, ac extra intusque venosa, ut facile credas, esse hic officinam cujusdam humoris digerendi. Qua os Vomer cognominatum ad gulam & Laryngem spectat, illa tunica nonnihil defluit.* Postea de usu hujus membranæ agens, hec inter alia habet. *Membrana hæc* (dicit) *materiæ Coryzæ sufficere posse videtur. Ea namque est sat ampla & lata, cum illud spiritus iter sit oblongum, spatiosumque, ac quoque geminum. Hoc si pituita desuper præcludit, spiratio est impedita, sonantior, ac vocalis spiritus etiam efficitur vitiosus. Sæpius quoque Coryzâ superveniente, hæc tunica quadam inflammatione inter initia afficitur, hinc illæ narium æstuantium verminationes, hinc illæ prurigines, hinc istæ emunctiones quæ non sunt sine sensu doloris, sine cruore, sine sternutatione.* Aliò referri non potest illud, quod

causſa

caussa continens sternutamenti erit. Cum enim non possit in Cerebro stabulari, nec etiam sedem propriam in Thorace habeat; proximum verò esse debeat naribus; aliud nos occurrit, ad quod, commode, velut ad receptaculum suum referri possit. Dissentientes, sive antiquos, sive recentiores non moramur, modo secundum veritatis lineas processerimus.

CAPUT OCTAVUM.

Sternutationis materia, vel est naturalis, vel violenta. Hippocratis opinio circa materiam sternutamenti examinatur & rejicitur. Ea vero est humor aëri immixtus, delitescens in Tunica narium. Quomodo Aër accedat.

STernutationis loco, in quo concipitur, & ex quo cum stridore majori juxta suam formalitatem (ut in Scholis loquuntur) prodit, indicato; deinceps in caussas illius penitius inquirendum est. Solet quidem communiter à medicorum filiis inter morbosas capitis affectiones considerari, quia ex causa ex parte morbifica, maximè, si solito vehementior fuerit, creditur originem trahere, & proinde quoque repentinum adferre exitium: cæterum multis accidit, & quidem juxta caussas ordinarias

& naturales, in quibus nihil morbifici, aut præternaturale notari poteſt. Interim tamen juxta hanc diſtinctionem, non inconvenienter cauſſæ Sternutamenti, qua internæ qua externæ convenienter proponi poterunt. Atque initio facto à cauſſis internis, ad eas pertinent materia & forma. Materia cum Huernio lib de Morbis Capitis cap. 28. iterum agnoſci debet duplex: Naturalis & violenta. Naturalis eſt, cum materia, quæ proritat cerebrum, ab ea excluditur, naturæ vi; non vero morbi motu. Materia hæc proritans eſt ſpiritus flatuoſus, aut ut Philoſophus antea dixit, ἀθρόον πνεῦμα, iſque vel ſolus, vel cum alio humore acri atque mordaci, interdum ſenſibili & conſpicuo, alias tenuiori & viſum fugiente, miſtus. Hanc ſternutationis cauſſam Hippocrates agnoſcens, in famoſo illo aphoriſmo 51 dixit eam fieri, ex capite concalefacto cerebro, vel humectato inani, quod in capite eſt: qua brevi ſententia, omnium prope, interpretum calculo, divinus ſenex flatus omnis ortum explicuiſſe videtur. Quod flatus omnis generetur in ſubjecto humido, à calori imbecilli, & manifeſtum ſit eum potiſſimum duabus à cauſſis excitari. Docent enim vulgò, quod in frigidioribus temperamentis, ubi non eſt ſufficiens caloris vis ad movendum flatum, cerebri concalefactio eam moveat: in calidiori-

calidioribus vero in quibus propter caloris abundantiam tota flatuum materia discutitur, si cerebro superfluus aliquis humor accedat (cui coquendo impar sit calor cerebri) facile ventriculi cerebri, & si quæ in eo sint spatia inania, flatu repleantur. At, hæc & similia per nostra principia non admittuntuntur; quum juxta illa neque materia sternutando excernenda in Cerebro contineatur; neque ipsum quoque cerebrum ad excretionem hujusmodi materiæ quicquam conferat: prout partim patet ex illis, quæ antea observata fuerunt; partim etiam liquere poterit ex iis quæ deinceps, proponenda erunt. Ut vero juxta nostra principia, materia vera sternutamento subserviens intelligi possit, consideranda prius erit absolute, & deinde, ut est disposita proxime ad recipiendam formam sternutationis. Illo modo spectata, attendi debet illa ipsa narium membrana, sive tunica, quam antea consideravimus, receptaculum materiæ sternutamento destinatæ; de qua hoc primo ex Julio Casserio Placentino notandum, quòd *sit multum sanguinea, ita ut, si digitis aut alia quavis re leviter fricetur, sanguinem effluere faciat*: eo, quod per eam plurimæ venæ *sint seminatæ*. Præterea, ut recte docet Dn. Schneider l. d. cap. 1. *hæc tunica perenni latice madet, quia vasa nunquam non humorem sudant.* Unde autem

 hume-

humectatio illa accidat, postea docet. Cæterum materia ibi delitescens, nondum proxime est disposita ad recipiendam formam sternutamenti, sed aëris quid ei admixtum esse debet. Accedere autem potest bifariam. Primo per respirationem; aër enim respirando attractus (ut vel ex olfactu patet) ad hanc ipsam membranam, & quidem ad extremam illius partem, ubi exquisitissimi sensus est, ordinario defertur: Deinde in sanguine, affluente ad arterias, per hanc membranam & proximas partes disseminatas, sæpe vapor tenuis & spiritus humificus delitescit, adeo ut molliter quoque narium tunicâ vellicatâ, sternutamentum sæpe provocetur, prout recte observat idem D. Schneider l. d. cap. 3. pag. 501. Atque hæc fuerit materia interna naturalis, sternutamento destinata. Si juxta Heurnium progredi voluerimus, violenta, materia fuerit, quæ æquo fuerit crudior, nec ad excretionem ordinata. Qualis sæpe in Catharro notatur.

CAPUT NONUM.

Caussæ efficientes sternutamentum provocantes externæ tanguntur. Inter quas eminet sulphur, de quo festiva historia proponitur.

Prox i-

PRroxime devenire debemus ad caussas efficientes, materiæ ita dispositæ formam procurantes, adhoc, ut Sternutamenti faciem induat. Duplices vero occurrunt externæ & internæ. Illæ priori loco sunt considerandæ, quod internas moveant & concitent. Externę vero caussę hoc loco, illa omnia sunt, quæcunque pruritu suo nares seu potius narium tunicam lacessunt: ut sunt primo medicamenta, quæ à medicorum filiis πταρμικά vocantur, item omnia acria per nares attracta, ut helleborus, album piper, pyrethrum: tertio, odores atque vapores acres: quarto rerum acrium esus, ut sinapi: denique quæcunque internas narium partes stimulant, quod pinna quoque fieri potest. Plinius enumerat potissimum sequentia. *Sinapi*, lib. 20. 22. *Elleborum seu veratrum.* lib. 25. c. 54. *Iris, quoniam ei vis calefactoria, naribus subducta sternutamenta movet caputque purgat.* lib. 21. c. 20. *Illyrica tactu movet.* lib. eod. c. 7. *Trichomanes gustatu.* lib. 27. c. 13. &c. præ cæteris verò agnosci debet sulphur, de quo festivum facinus Apulejus lib. 9. Metam. *his verbis narrat*: Mulier in illicita Venere comprehensa subitario ducta concilio mœchum subjectum contegit viminea cavea, quæ fustium flexu erat in rectum aggregata cumulum laciniasque circundatas suffusas candido fumo sulphuris inalbat, & ita

mensam secura participat: interim accerrimo, gravique odore sulphuris juvenis inescatus, atque obnubilatus intercluso spiritu diffluit: Utque est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovet: atque ut primum è regione mulieris pone tergum ejus maritus accepit sonum sternutationis, quod cum putaret ab ea profectum solito sermone salutem ei imprecatus est, & iterato rursum, & frequentato, sæpius, donec rei nimiditate commotus, quæ res erat, tandem suspicatur, & impulsa mensa protinus, remotaque cavea producit hominem gladium flagitans &c. *Hactenus Apuleius.* De his externis caussis, sternutamentum provocantibus, hoc quoque notandum est: quòd sæpe ab iis internæ caussæ non tam moventur, quam potius occasionem ducunt: quomodo sole flagrante in capite, se vapor pandit nares feriens; & vice versa subito algore ad nares vapores coguntur, in cujus rei caussam, occasione problematum deinceps proponendorum, inquirere licebit.

CAPUT DECIMUM.

Expenduntur caussæ internæ sternutamenti, quod pertinet ad facultatem dilatantem & comprimentem. Quomodo

do illa ſe exerat in actum, ad exhibitionem ſternutamenti.

A Cauſſis extrinſecis ſternutamentum cientibus, deveniendo ad cauſſas intrinſecas, ante omnia conſtare debet, ad quamnam facultatem illud pertineat? Magnus ille in Medicina vir Claudius Galenus loco modo laudato, ſive lib. 2. de Symptom. cauſſ. cap. 4. retulit ad facultatem animalem motivam, quem plerique medici ſequuntur, niſi quod quidam illud referant ad facultatem naturalem. Cæterum exiſtimo cum Mercato. Quæſt. 180. Omnibus rite expenſis, ſternutationem referendam eſſe ad facultatem dilatantem & comprimentem non tam cerebrum, quam tunicam pituitariam antea delineatam: neutiquam verò aut ad naturalem, quod non poſſit vehementiſſimo motu ſuo excrementa pellere; aut ad animalem motivam, quod nulli ſint muſculi, quibus exſequi poſſit vehementiſſimum illum motum, cum ſolum conferat majorem conatum animalis hæc facultas: quæ conſiderata hic ἐν ὑποθέσει ſolum dilatare atque comprimere poteſt ad hoc, ut tunica hæc valido compreſſionis motu, quod moleſtum eſt, expellat. Capivaccius loco ante citato exiſtimat, primo irritari nares,

secundo cerebrum : quod necessum sit, ut materia secundum aliquam sui partem in nares antea feratur, quam commoveatur ipsum cerebrum. Sed, ut nos cerebrum non agnoscimus, ita dicendum fuerit, primitus prope nares vellicationem aliquam excitari in membrana iis subtendente, quæ procurrens ad extremitatem illius ubi extensa est â flatu acri, cum validius pungit, per quam puncturam ut se contrahit aliquatenus, ita excitatur vis expultrix, quâ non modò materia flatuosa excutitur, sed simul quoque (experientia hoc docente) sæpe mucus & saliva, ob caussas, infra proponendas.

CAPUT UNDECIMUM.

Agitur de Sternutationis forma & fine: simul proponitur ejusdem definitio gemina: prior inconveniens, cæterum ex mente illorum, qui eam referunt ad cerebrum: altera convenientior, & juxta principia antea proposita.

FOrma Sternutamenti, quin sit validior spiritus humidi, membranæ pituitariæ inclusi, expulsio cum sono, dubitare non licet, atque ex antecedentibus liquet. Cæterum unde hic sonus, ex re est expende-

re.

re. Hippocrates in famoso illo suo Aphorismo dicit: ψοφεῖ δὲ ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστιν. *Strepit autem quia per angustum ipsi est exitus.* Qui Hippocrati adhærent, atque in cerebro sternutationi sedem assignant, strictas quidem vias hactenus commode agnoscunt, per quas coarctatus aër, frangatur multipliciter in sonos; sed, quòd ossa ἠθμοειδῆ ad frangendum sonum præ cæteris concurrere & vim habere putant, admitti non potest ob illa, quæ supra proposita sunt. Membranam, seu, tunicam pituitarum multis poris, sive foraminulis aut fissuris divisam esse, antea ex D. Bartholino annotavimus; per illos, à se invicem non admodum distantes, ut spiritus aqueus admodum rarefactus, vehementer & impetuose deturbatur; ita ob variam aëris, ut sonori fracturam, per multiplicatos poros & sinus varius & multiplicatus sonus colligitur, qui ex parte divisus & diffusus, dum per narium cavitates defertur, iterum colligitur, collectusque impetuose prorumpit, juxta multiplicem tamen differentiam postea examinandam. Ratione hujus prorumpentis spiritus habita, Aristoteles supra cap. 2. sternutamentum describendo adumbravit. Nec hactenus incommode. Tantum de forma. Quantum ad finem sternutamenti, eo in communi considerato, atque sequestratis illis, quæ ex acciden-

ti, atque à caussa morbifica accidunt, dici potest, non quidem esse eum, quòd propellat caussam molestiæ, quæ in anterioribus cerebri ventriculis percipitur; sed quod, spiritum humidum tum nares, tum maxime tunicam, quâ vestitur, infestantem, impetuose, sed tamen naturaliter exterminet. Expensis omnibus sternutamenti caussis, ad illius definitionem, aut verius definitivam descriptionem accedendum. Nobis olim, cum ex principiis Veterum, & communibus Medicorum progrederemur, placuit sequens Descriptio: *Sternutatio est vehemens Cerebri motus cum sono, pendens ab expultrice cerebri & nasi, stimulata à flatuoso spiritu humoreque acri, sive sensibili, sive minus apparente, ad hoc institutus, ut anteriores cerebri ventriculi vellicante illa & stimulante materia liberentur*: quæ licet tum temporis mereretur præferri definitionibus ex variis Auctoribus, quâ antiquis, quâ recentioribus, capite secundo adductis; hoc tamen tempore, quod certiora & magis rationi consentanea fundamenta præstruxerimus, placere non potest. Quorum fundamentorum, & pariter principiorum cognoscendi, ratione habita: *Sternutamentum est materiæ spirituoso-aqueæ, collectæ inter tunicam pituitariam, sive, per membranam narium, sive, ab intra extimulatam, valida expressio, clare sonans, quod per confectos ejusdem tunicæ poros &*

an-

anfractuosos narium meatus variis modis frangatur & collidatur, naturaliter ut plurimum variis animalibus, potissimum verò homini, accidens, ut molestia materiæ vellicantis, tunicæ illi inhærentis, liberari possint. Posteriora, licet ex antecedentibus nondum deducta, ideò addimus, quòd Sternutatio ex vitio præternaturali aliquando evenire possit, & animali quàm noxia esse.

CAPUT DUODECIMUM.

Cur homo præ omnibus aliis animalibus maxime sternutet? Expenduntur Aristotelis & Alexandri Aphrodisæi rationes, quibus aliæ adduntur.

PEr Definitionem, aut verius, descriptionem, adumbrata Sternutationis natura, non inconveniens fuerit, pro illius natura propius cognoscenda, excutere Problemata, quæ de eadem Aristoteles in Syntagmate Problematum (modò omnia ad tantum Philosophum debeant referri) jam olim movit. Inter hæc verò familiam ducat, famosum illud, quòd bis proposuit, quo quæritur, *Cur homo omnium animalium maxime sternutet?* Ad quod Sect. 10. Probl. 49. *ita respondet*: An quòd gravedine maximè laboret: hujus autem caussa est, quod ca-

calor, qui circa cor aptus natus est sursum ferri: cæteris autem animalibus motus ejus secundum naturam est in armos exinde autem repercussione disjectus, partim in cervicem caputque fertur, partim in spinam & lumbos, quod in eadem rectitudine sint omnia hæc circa basim, æqualiter autem per corpus delatus, humores itidem per illud æqualiter partiuntur: sequuntur enim calorem humores, qua ratione neque admodum gravedine infestantur. Quod rupeda animalia, neque sternutant. Sternutatio enim aut flatus collecti motus est. Humoribus corporis plus aliquid exhalantibus, aut incocti humoris quo fit, ut catarrhum præcedat, quæ cæteris animalibus non eveniunt ob motum caloris, qui in ipsis fit æqualiter ante & retro. Homini autem qui erecta basi se in sublime modo stirpium attollit, evenit, ut caloris elatio plurima & vehementissima caput adeat, elatusque exinde meatus, qui sunt circa illud rarefaciat, ac excalefaciat: tales autem facti, apti magis redduntur ad suscipiendos humores. An meatus, qui sunt inferius in corde, quando evenerit humectari plusquam oportet, & refigerari foris calor nutrimentum habens, & coarctatus, adaugetur: auctus autem in caput fertur, & in meatus, qui sunt in ipso in quos simul illapsi humores subtiles, & incocti, ipsos replent, & distilla-

ſtillationes efficiunt, & ſternutationes. Nam inter initia diſtillandi, calor ſurſum humorem præcedens, inflanſque meatus, ſternutamenta expulſu ſpiritus, ductuſque humoris tenuis & acris excitat. Unde fit, ut poſt ſternutamentum è gravedine factum aquoſæ per nares expellantur. His autem omnibus commotis humores coacti craſſique in ipſis ſubſidunt, & meatus obſtruunt, qui ſunt in capite, & naribus; facti autem tumentiores, ac magis diſtenti, dolores producunt in iis, quæ ſunt circa caput. Signum autem, quod neque extra, neque per ipſos meatus ſpiritus emitti poteſt. Unde neque ſternutant, neque olfaciunt gravedine detenti ſternutamenta vero, quæ fiunt ſine gravedine, ob eaſdem cauſſas fiunt, ſed parvis levibuſque initiis itaque collecti humores ab ipſo calore in ſpiritus verſi ob exilitatem in nares cadunt; ſpiritus autem ſonitum egreſſu edit, non minus violentia motus, quam ipſius multitudine. Cum enim calor directo tramite ſe ad cerebrum uſque extulerit, eique ipſi impegerit, ad nares reflectitur: ſic enim poros à cerebro diſtendit. Qui cum illa foras reflectendi delatio ſpiritus nares verſus contra naturam agatur, ut vehemens fiat, nimirum evenit, itaque ſtrepitum movet cæterorum autem animantium aves maxime gravedinem ſentiunt, quòd formam

corpo-

corporis maxime ſimilem hominibus gerant, verum hominibus minus afficiuntur, quoniam caput magna ex parte deorſum tenent; ut quæ victum abs terra petere ſoleant. *Hæc ibi Ariſtoteles.* Idem Problema iterum proponit Sect. XXXIII. Probl. 10. Atque ita *ad illud reſpondet*: Utrum quia meatus amplos habet, per quos ſpiritus ſubeunt, & impulſus fiunt: His enim repletis ſpiritu, ſternutamus. Quod autem ſint ampli, indicium eſt, quod cæteris animalibus minus olfactu valet: certiores enim ſunt ſubtiles meatus. Si igitur in amplos plus & ſæpius intrat humidum, quo inſpirato ſternutatio fit; homines autem tales habent maxime inter animalia, merito etiam magis ſternutant. Hinc quibus parvi ſunt naſi, ſæpius etiam merito ſternutant: quia concalefactum humidum in flatus converſum citò exire poteſt. Cæteris autem præ longitudine narium refrigeratur prius, quam exeat. *Hæc iterum Ariſtoteles.* Ad eandem hanc Quæſtionem reſpondit Alexander Aphrodiſienſis libro primo Problem. Quæſt. 144. *ita loquens per interpretem*: Quoniam (*homo ſcil.*) cibo, & potione largius, magiſque varie utitur, & ſæpenumero ultro ſatietatem repletur. Hinc enim cum cibos ſatis concoquere nequeat, multum ſpiritus ob humoris copiam movet, ſpiritus vero præ ſua tenuitate efferens ſe

ad

ad cerebrum cogit id crebro ad se expellendum incitari, (& sternutamentum facere) Strepitus itaque movetur, quoniam per nares meatus denique arctiores spiritus extrudatur universus, quemadmodum etiam ad partes inferiores spiritus idem evolutus murmur per intestina excitat, & per sedem insigni cum sono excedit atque etiam ad superiora enixus ructum per stomachum agit, & vocem per guttur, & sonitum ac tinnitum per aures. *Huc usque Alexander.* Quæ omnia breviter veniunt examinanda. Atque deveniendo ad Aristotelem, prima ejus ratio particularis nimis est, siquidem respicit solum illud sternutamentum, quod homini gravedine laboranti accidit. Sed certum quoque est, homini, qui à gravedine per omnia immunis est, nec quid omnino incommodi ab illa patitur, sæpe sternutamentum obvenire. Interim tamen hæc ratio, quæstioni à Philosopho propositæ conveniens est. Quæritur enim cur homo præ omnibus aliis animalibus maxime sternutet? frequentius autem sternutare deprehendimur, quoties gravedo, sive coryza, molestias, exhibet. Hominem quoque præ omnibus aliis animalibus (gallinaceum genus si excipias) gravedine laborare, in confesso est. Quod & indicare videtur Cicero, sic enim scribit lib. 4. Tusc. Quæst. *Dicimus gravedinosos quosdam, quosdam*

dam torminosos, non quia semper sint, sed quia sæpe sint. Quod vero coryza ut plurimum sternutamentum excitet, imputandum videtur ejusdem acrimoniæ, unde & nares sæpe exulcerat. Quæ autem acria sunt tunicam narium vellicant, & simul vellicando sternutamentum excitant, prout patuit supra cap. IX. Quòd talis vero sit κόρυζα, ostendit Hippocrates in lib. de vet. Med. ubi describit ῥεῦμα κινηθὲν διὰ τῶν ῥινέων, καὶ τοῦτο ὡς πολὺ δριμύτερον, οἰδέειν ποιοῦν τὰ ῥῖνα. Quod & platoni in Timæo notum fuit, ubi asserit Phlegma pro sternutamento provocando molestum non esse, nisi versum sit in πομφόλυγας, id est, in bullas & flatulentum aliquid, cum acrimonia conjunctum. Alexander ab hac Aristotelis ratione haut multum recessit, notando hominis ingluviem, à qua ventriculum infirmari, cruditates varias procurari, & sanguinem impurum reddi dubium non est. Fallitur verò maxime, quòd putet, qua vapores qua spiritus & ventriculo eructatos ad ipsum cerebrum deferri, atque ibi colligi, constipari, & iterum colliquari, ut in Alembico notari solet: hoc enim neutiquam vero consentaneum esse, abunde patet ex illis, quæ antea dicta & observata fuerunt. Et tamen κόρυζα, sive gravedo, (eam Barthius à Latinis Medicis *gravationem* quoque dici, nota ad Nemes. pag. 269.) non

non ſobriis & abſtemiis, ſed quotidiano luxu diffluentibus hominibus, præ cæteris familiaris eſſe ſolet: ut gnarum quoque fuit Platoni lib. 3. Polit. ubi teſtatur homines ex luxu *lacunarum inſtar aqua exuberare*: quod quadrat in illos, qui propter luxum, cui aſſiduò vacant, Coryza plerumque laborant. Vice verſa pauperibus, iiſque, quibus menſa ſobria inſtruitur, *naſus ſiccus* eſt. Unde Catullus ludens in Furium Iſaurenſem, extreme pauperem, ex pauperie hoc commodum in eum redundare dicit, quòd nulla Coryza, & naſi pituita vexetur. Verſus hi ſunt:

Quare non tibi ſit bene ac beate?
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva,
Mucuſque & mala pituita naſi.

Altera ratio, quam Ariſtoteles adfert, cur homo præ omnibus aliis animalibus frequentius ſternutet, eſt deſumpta à naribus qua habeat breviores quàm alia animalia, meatus autem per quos tum ſpiritus commeat, tum humidum excernitur, longe ampliores. Hanc rationem ſeorſum propoſuerat Probl. 21. dictæ Sect. 10. ſed ita Naſones & Naſicæ minus deberent ſternutare, quod tamen experientiæ minus eſt conſentaneum quæ addit de amplioribus meatibus, procederent, ſi vapores cum ſpiritu ad cerebrum tenderent. Verum hoc dici non poſſe, abunde patet ex ſuperioribus

bus. Eoque ſepoſita altera hac ratione, prior (ſed quatenus à nobis correcta atque interpolata eſt) ſufficere poteſt & tamen Doctiſſimus Septalius in Commentario ad d. Probl. 49. feles præ aliis mutis animalibus magis ſternutare aſſerit, quod *obſervarit narium ſtructuram brevem & anguſtam*. Nos, quoniam liquida experientia deſtituimur, nihil definire audemus. An gallinæ non ſternutent quoque, quòd ſæpe coryza moleſtias iis exhibeat, jure meritò aliquis quærat? Gallinas coryza laborare, non modo notum eſt agricolis & fartoribus apud nos, verum etiam ipſis mulierculis; morbum hunc gallinaceum vulgò vocant **de Pippe.** atque hinc apud Lucianum in ſomnio Galli occurrit ἀλεκτρυών, ſeu, gallus κορυζῶν, *coryza laborans.* nam quando hoc incommodum gallinis moleſtias exhibet, nares earum muco uſque adeò ſunt obſtructæ, ut difficilis ſit reſpiratio. ſtridulum quoque ſonum tunc edunt, & quidem cum difficultate: quem tamen non auſim vocare *ſternutationem.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Quomodo ſternutatio ſedet ſingultum. Quid ſingultus ſit. Notatur Ariſtotelis error in ſolvendo hoc Problemate, atque præfertur ſententia Galeni.

Circa

Circa sternutationem amplius quærit Aristoteles d. Sect. XXXIII. Probl. 1. *Cur ipsa quidem singultum sedet, eructationem verò non solvat?* Atque ita *per suum interpretem respondet*: An quia non ejusdem loci utraque passio est, sed eructatio ventriculi est, singultus verò refrigeratio loci, qui est circa pulmones, & cruditas spiritus, & humoris. Communicant autem loca quæ sunt circa cerebrum cum pulmone, ut ex avibus manifestum, simul enim & surdi fiunt, & morbi aurium transeunt in vitia pulmonum, & aliquibus scalpentibus aures tussis supervenit. Quod autem ad sit communicatio nasi circa locum, in quo fit sternutatio cum pulmone, ostendit respiratio utrique communis. Quare respiratio quidem fit ipso calefacto: cum vero compatitur locus inferior, fit singultus. Calor autem concoquit. Qua etiam ratione acetum solvit singultum, & retentio spiritus, si singultus levior fuerit: spiritus enim contentus calefacit. Quare & in sternutatione retentio hujus facit contrarium: & inde respiratione facta spiritus emittitur & ex superiori loco: impossibile enim est, sternutare non respirantem. Impetus igitur disrumpit interclusum spiritum, qui facit singultum. *Hactenus Aristoteles*; cujus sententiam antequam examinamus, operæ pretium fuerit, cognatum præcedenti Pro-

 blema

blema ſubjicere, quod eſt quintum ejuſdem ſectionis. Quæritur ibi, *cur ſternutatio ſolvat ſingultum, item ſpiritus cohibitio, & acetum?* atque ſic *reſpondetur*: An quia ſternutatio repercuſſio eſt inferioris ſpiritus, ſicut ſuperioris medicamentum ad inferiorem ventrem, ſpiritus retentione leviores tolluntur ſingultus, quia parvus motus ſpiritus, ſi pauliſper contineatur, ut in tuſſi, ſolvitur. Ita & is deorſum premitur, ſuffocatur, cogitur. Aceto idcircò ſedatur, quia humor circumſtans, & prohibens eructandi licentiam in ſpiritum per vim aceti calefactoriam extenuatur. Fit enim ructus cum ventriculi humor recaleſcens inflatur, atque digeritur: ſingultus autem quando ab humore detinetur ſpiritus ſuperfluus circa locum ſpiritalem. Hic enim commotus nec potens exire concluſionem facit; convulſio verò hæc ſingultus dicitur. Et hinc efficitur, ut rigentibus ſingultus ſuperveniat: quia frigus facit humidum conſiſtere cum ſpiritu. Spiritus circumventus exilit, cujus motus eſt ſingultus. *Hæc iterum Ariſtoteles.* Ante Ariſtotelem, idem docuerat Plato in Sympoſio. ſub perſona Medici Eryximachi, qui Ariſtophani, præ ſingultu, loqui non valenti, tria remediorum genera præſcribit, Ἐὰν μὲν σοὶ (inquit) ἐθέλῃ ἀπνευστὶ ἔχοντι πολὺν χρόνον παύεσθαι ἡ λύγξ·

ἡ λύγξ· εἰ ᾗ μὴ ὕδατι ἀνακογχυλίασον· εἰ δ᾽ ἄρα πάνυ ἰσχυρά ἐστιν, ἀναλαβὼν τι τοιοῦτο οἵῳ κινήσαις ἂν τὴν ῥῖνα, πτάρε, καὶ ἐὰν τοῦτο ποιήσῃς ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ εἰ πάνυ ἰσχυρά ἐστι, παύσεται. *Si vis ſpiritum aliquandiu cobibere, ceſſabit ſingultus: ſin minus id placet, aqua fauces collue gargarizata: &, ſi vehementiſſimus eſt, nares oportune ſtimula, ut ſternutatio irritetur. Quod ſi id ſemel vel bis feceris, etiamſi ſingultus frequentiſſimus ſit, deſinet.* Atque ibid. Ariſtophanes poſtea, fruſtra aliis remediis adhibitis, ſe ſternutationis ſubſidio à ſingultus moleſtia liberatum fuiſſe profitetur. ἐπαύσατο (dicit) οὐ μέντοι πρίν γε τὸν πταρμὸν προσενεχθῆναι αὐτῇ. *Sedatus quidem eſt ſingultus, non tamen prius quàm ſternutatione fuerit repreſſus.* Ariſtotelis quoque Problematibus reſpondet ex parte Hippocratis Aphoriſmus decimus tertius Sect. VI. ubi ita venerandus ſenex: ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγινόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν. *Singultu detento, ſi ſternutamenta ſupervenerint, ſingultum tollunt.* Meminit hujus præcepti & ſimul Platonis, Paulus Dionyſius in Paraphraſi Metrica Hippocratis:

Tollere ſingultum ſternutamenta, Platonis
Conviva eſt nobis teſtis Ariſtophanes.

Sed redeundo ad Ariſtotelem, is non lo-

 quitur

quitur de omni ſingultu, ſed de illo, qui eſt paſſio ventriculi, aut, ut ipſe per errorem exiſtimat, pulmonis, aut loci pulmonibus proximi : quem ſternutando compeſci vult, quòd flatus ut ex retentione ſpiritus, & aceto, ita etiam ſternutamento cohibeatur ; atque ſic cohibitus calefaciat pariter ſtomachum & partes ſpirituales, uſquedum flatus, à quo fit ſingultus, diſſipetur. Quam Ariſtotelis rationem expendens doctiſſimus Mercurialis, non inconvenienter dicit in Commentario ad dictum Hippocratis Aphoriſmum : *Hæc reſponſio eſt eorum ſimilis, qui putarunt omnia fieri à flatu, & ob id Pneumatici ſunt appellati, quorum princeps & auctor fuit antiquus ille ſcriptor, qui librum de flatibus nobis reliquit, ſive fuerit Hippocrates Cous, ſive alter, ſive quiſpiam alius antiquus Auctor.* Quò vero pateat, quomodo ſingultui ſternutatio medentur, primo conſtare debet quid ſit *ſingultus.* qui ita vulgò deſcribi ſolet ; *quòd ſit motus ventriculi convulſivus, quo per facultatem corporis rectricem, aliquid, quod tunicis illius eſt impactum, &, aut quantitate, aut qualitate moleſtum eſt, expellere conatur.* Unde & Aben-Cina 3. fen. 1. 5. 8. *ſpeciem ſpaſmi* eſſe pronunciavit. Cum autem ut plurimum à plenitudine ſingultus proveniat, ut indicio ſunt, juxta Galenum pueri ſæpius ſingultientes, cum ſint repleti ; ita (ſunt verba Galeni ad d.

Hippo-

Hippocratis Aphoriſmum) *violento opus eſt motu, ut partes veluti concuſſæ ipſum efficientes, difflentur, atque evacuentur, quod facit Sternutatio.* Scilicet ſternutando, velut validiori motu, illud quod ventriculi tunicis inhærebat, & ſingultum excitabat, excernitur : quod difficile non eſſe, patere cuivis poteſt, ſi attenderit nos ſupra cap. 7. ex principibus Anatomicorum obſervaſſe, inter tunicam nares ſuccingentem, nec non tunicas Oeſophagi & Ventriculi quàm arctam cognationem intercedere. Sternutatio autem maximè ſingultui auxiliatur, ſi fuerit improviſa & violenta, ſic enim facilius humores difflantur & evacuantur. Fortaſſis idem facere poſſent reliqui motus tum corporis tum animi ; ut vehementior metus ac ira, & alia hujuſmodi : quorum alterum caloris ad interna recurſu, reliquo ſpiritui calidum ad externa deducenti auxilium præbet. Unde & mulierculæ pueris ſingultientibus terrorem incutere ſolent.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Expenduntur amplius tria Ariſtotelis Problemata, de Sternutatione. Cur, ſi quis oculum perfricuerit, minus ſternutet? Cur adverſus ſolem aſpicientes magis ſternutent? An ut plurimum bis ſternutare conſueverimus?

QUòd Aristotelis de Sternutamento Problemata expendere consueverimus, in eorundem examine progrediendum est. Quærit ergo Philosophus d. Sect. 33. Probl. 8. *Cur perfricantes oculum cessemus sternutare* ? & respondet *per Interpretem* : An quia transpiratio sic fit humidi, lacrymat enim oculus ob perfricationem : sternutatio autem est ob copiam humoris ? An quia minus calidum corrumpitur à majori. Oculus autem perfricatus plus excipit caliditatis ea, quæ est in naso. Hinc etiam fit, ut nasum ipsum, si quis perfricet, cessat sternutatio. *Hæc Aristoteles*, qui idem Problema jam antea moverat ead. Sect. Probl. 2. atque *ita responderat* : An quia quod excitat sternutamentum calor quidam est : fricatio autem calorem facit, qui quoniam locus, quo sternutamus, propinquus est, alterum destruit : quemadmodum minor ignis à magno extinguitur. *Hæc iterum Aristoteles*. Principio observandum est, quod à Philosopho ut certum præsupponitur, haut quaquam verum esse κατὰ παντὸς, sive *Universaliter*. neque enim semper sternutamentum poterit sufflaminari, si oculus perfricetur. Sed aliquando duntaxat illud contingit si nempe materia, sternutando excernenda, minus copiosa fuerit. Geminam autem caussam adfert. Prior desumpta est à materia : nam cum, juxta Ari-

Aristotelis principia, sternutamentum sæpe provocetur à materia mordaci, quæ aut nares, aut anteriores cerebri ventriculos, & continua iis olfactus instrumenta, nec non ossa Ethmoiodea obstruat; vel à spiritu aliquo flatuoso in cerebro contento; perfricato oculo, materia motu perfricationis attenuatur, simulque obstructio illa tollitur; cujus rei hinc certum indicium colligitur, quod post perfricationem oculus lacrymis irrigari deprehendatur. Quæ ratio non inconveniens per omnia esset, si modo Philosophus exploratam habuisset stationem, in qua materia, per sternutationem excernenda, delitescit. Eoque, progrediendo juxta nostra principia, dicere possemus, perfricando oculum, reliquias materiæ sternutatione excernendæ attenuari, atque è membrana pituitaria elici ad oculorum angulos. Altera Aristotelis ratio desumpta est à caussa efficiente. Cum enim sternutamentum proveniat à mordicante aliqua materia, quæ calida est, forte talis calor excedens, educi posset per majorem calorem, oculo perfricato excitatum. Quemadmodũ contingit minorem ignem majori appositum emarscere. Oculus autem perfricatus plus caloris acquirat, quàm in naribus continetur. Unde si quis nares vehementius perfricuerit, potissimum nasi extremam partem, adeo, ut calefacta, ad se

 cali-

calidum cum humido trahat, Sternutatio cesset. Hactenus ex Aristotelis principiis progressus sum. Per narium, juxta extremas partes perfricationem, sternutamentum aut suflaminari aut minui experientiâ constat. Quod putarim fieri, quod spiritus vellicans, hanc ratione magis attenuetur, & attenuatus dissipetur. Quòd perfricato oculo pariter accidere, vero quam consentaneum est. Ut non sit necessum sollicitare majorem calorem minorem provocantem & educentem. Deinde eadem Sect. Probl. 4. quærit Aristoteles, *Cur versus Solem aspicientes magis sternutent?* atque respondet: *An quia movet calefaciendo, non secus ac pennis tangentes idem enim utrique agunt: motu enim calefacientes ex humore ocyus spiritum excitant: hujus autem exitus sternutatio est.* Quod quærit hic Philosophus multiplici experientiâ est probatum: quilibet enim experitur, sternutamentum sibi provocari, si directo obtutu ad Solem se converterit: atque, si aliquis ad sternutandum proclivis fuerit, in motu sternutationis hæreat, ægreque is promoveri possit; sternutamentum accelerabitur, si in proximo corpus aliquod luminosum intuitus fuerit, puta candelam, aut simile aliquid. Asserit vero, quod Sol & quodcumque corpus luminosum excalefaciendo humorem attenuet, & attenuato spiritum eliciat, qui quærendo exitum

exitum per angustas vias, sternutamentum concitet. Quæ hactenus ἀπροσδιόνυσα haberi non debent, cum examussim Aristotelis principiis de Sternutatione respondent. Ut vero hæc ad nostra principia applicemus, dicendum fuerit; Solem directè nares, & membranam eas investientem ferientem, exsiccare atque corrugare, inde verò vellicationem aliquam accidere, quæ cum se protendat usque ad extrema ejusdem Membranæ, eandem concitet, atque ad sternutandum provocet. Eadem Sect. Problemate tertio idem Philosophus quærit, *Cur bis sternuere ut plurimum solemus, & non semel, aut sæpius?* atque ita habet ejusdem responsio: *An quia duæ nares sunt, per utramque igitur divisa est via, per quam exit spiritus.* Sed rectè Doctissimus Septalius in Commentario ad hoc Problema observavit, non modo Philosophum progredi ex falsa Hypothesi; verum etiam rationem explicationi talis Hypothesis servientem, nulla ratione admitti posse. Quod commodiora adferre non queam, pro meis ipsius verba adoptabo. Circa Hypothesin ergo hæc habet: *Quod in Hypothesi sumitur tanquam verum, &c. Quòd majori ex parte bis sternutemus, non semel, aut sæpius, falsum saltem esse apud nos Italos quotidiana docet experientia, & in meipso quotidie experior, qui ferè quotidie bis in sternutatione sum, & singula*

ſingula aggreſſione quinquies ſaltem ſternutamento, & materiam vellicantem, & flatum magno impetu excutio. Quod homo Italus (gente & domo Mediolanenſis fuit Ludovicus Septalius) de ſuis popularibus pronunciat, nos Belgæ, in Belgio quoque noſtro verum eſſe novimus. Nec felicior eſt Philoſophi reſponſio. Ut enim iterum pro meis verba Septalii adoptem. *Quæ etiam in ſolutione ſibi ſumit, non conveniunt*, &c. *Poteſt enim & cauſſa adeo modica eſſe, ut una expulſione educi poſſit: poteſt etiam adeo multa eſſe, ut pluribus indigeat: Craſſities etiam aliquando facit, ut non niſi repetitis ſæpius vicibus excuti poſſit acrimonia, quin etiam & vellicatio ejuſdem ſæpe repetitionum cauſſa eſt.* Niſi ergo dicere voluerimus, Problema hoc ad alium, quàm ad Ariſtotelem referendum eſſe, fatendum erit, eum multis modis falſum fuiſſe, atque purgamentum calcaſſe. Quod vero Hypotheſis, imo ipſa Quæſtio ſecundum Hypotheſin conſiderata, falſa ſit, quorſum nos magis fatigemus circa explicationem ejuſdem.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Proponuntur ſeptem alia de Sternutamento Problemata. Cur emunctione narium Sternutamentum avertatur? Cur apprehen-

prehensis naribus & retento spiritu, sternutatio cesset? Cur, quando in altum suspicimus, sternutatio provocetur? Item cur eandem concitet pulvis arenæ, æstivo tempore naribus afflatus? Cur sæpius sternutent, quibus nares angustiores sunt? Ob quam caussam pulvis tabaci sternutamenta frequentia provocet illis, qui illi non assueverunt, neutiquam vero iis, qui eum attrahere soliti sunt? An, & cur senes minus sternutent, quam juvenes?

EXpensis Aristotelis de Sternutamento Problematibus, deinceps alia quædam ab illo omissa examinabimus. Atque *primo* quæritur, *Cur emunctione narium Sternutamentum avertatur?* Quod quærit Problema, quivis experiri potest; si enim, quando sternutamentum oboriri videtur, nares validius emunxerit, sternutamentum sufflaminari, quasi, deprehendet; atq; si semel iterumve jam sternuerit, si nares emunxerit, ulteriora sternutamenta avertet. Caussa non est alia, quàm quod materia ad sternutamentum præparat & quasi accincta hac ratione educatur, quâ subducta non potest non quoque sternutatio aut impediri, aut cessare. *Tertio* quæritur, *cur si sternutatio molesti.*

molestias quoque exhibeat, eadem compescatur, apprehensis naribus & spiritu retento? Hoc, tanquam remedium, adversus crebriorem sternutationem Rondeletius proponit lib. I. Meth. cap. 70. caussam tamen non reddit. quæ tamen in obscuro non est: ad sternutationem requiritur aër, attractus usque ad sedem sternutationis: quo excluso tum per obseratas nares, tum per retentionem spiritus, non potest non quoque, ex parte saltem, sternutatio cessare. *Tertio* quæritur, *Cur quando, in altum suspicimus, sternutatio provocetur?* Proponit illud Zuingerus lib. 2 Physiol. cap. 50. atque verum esse, quod quærit Problema, quivis experiri potest. Caussam hanc adfert Zuingerus. *Suspicere in altum*, inquit, *sternutationem ciet, quoniam vapor in anterioribus cerebri ventriculis contentus, per hanc sincipitis elevationem ascendere, & ipsum olfactus organum ferire & mordicare potest. Non secus, atque decumbentes minus sentiunt ructus, quàm erecti, ipsis flatibus naturali impetu regionem superiorem petentibus.* Ego dicere malim, quod & veritati & principiis nostris magis consentaneum est: quando reclinamus caput, materiam aqueam, ex membrana pituitaria per nares defluere & se exonerare solitam, cum impetu quasi regurgitare, atque, cum illi immixtæ sint particulæ multæ aëreæ, simul membranam hanc subtendere; vellicatio

catio præterea tunicæ huic, ſenſu quàm ſubtili præditæ, per materiæ repentinam regurgitationem ut accidit; ita non poteſt non quoque ſternutatio provocari. *Quarto* quæritur, *Cur Sternutationem concitet pulvis arenæ, æſtivo tempore naribus afflatus?* Si quis ſidere anni flagrantiſſimo, per loca arenoſa, vento leni pulviſculos arenaceos difflante, ambulaverit, niſi nares ſuas ſæpius emunxerit, à ſternutamento frequentiori ſentiet moleſtias. Pulviſculi enim (oculis aliàs moleſtias creare ſoliti) narium tunicæ non modo afflantur, verum & poris ejuſdem ſe inſinuant, unde & inſignis provenit vellicatio, & crebrior ſternutatio. Cur vero ſternutamentum narium emunctio avertat, patet ex illis, quæ antea hoc capite dicta ſunt. *Quinto* quæritur, *Cur ſæpius ſternutent, quibus nares anguſtiores ſunt?* Verum eſſe, quod quærit Problema, noverat quoque Septalius, apud quem in Comment. ad d. 3. Probl. Sect. 33. ſequentia legas: *Quod obſervavi magis frequentia inducere ſternutamenta, eſt anguſtia meatuum, per quos expellitur materia in cerebro contenta.* Atque idem in pluribus aliis experiri licet, quibus ſi narium meatus anguſtiores contigerint, frequentius quoque quam alii ſternutamentum iterant. Quod alii enim una vice excernunt, ipſi pluribus vicibus ob viarum anguſtiam vix excernere poſſunt. Atque

dubium non est, quin & illi, quando incipiunt, sæpius sternutent, quibus membrana pituitaria minus pertusa fuerit, eam enim poris multis distinctam esse, supra cap. 7. ex Anatomicis primoribus observatum fuit. *Sexto* quæritur, *Cur Tabaci pulvis excitet insolitis sternutamentum, assuetos vero non moveat?* Movet hoc Problema Doctissimus Magnenus in accurato Opusculo de Tabaco Exercit. VIII. Quæst. 2. atque cum verum sit quod quærit, fidem faciente experientia, ita hæc addit: *Respendeo*, dicit, *ad hoc quæsitum duobus verbis, quia sternutatio fit ob irritationem virtutis expultricis, irritatio ob molestiam, molestia ex inassuetudine, quod enim consuetum est molestum non est, nam naturale molestia caret, consuetudo autem est altera natura, ergo à primo ad ultimum ab assuetis non debet fieri passio. Secundo quia frequenti hujus pulveris usu siccatur, induratur, calumque contrahit nasus interior, unde acredinem illam nullo modo percipit; qui autem non assueverunt, contrarium patiuntur.* Utraque ratio est commoda, eoque nihil super addo. *Septimo* Problemati occasionem præbet Plinius lib. 28. cap. 6. *Theophrastus*, (inquit) *senes laboriosius sternuere dicit.* Quod & verum est: cum enim copiosiori phlegmate abundent, atque illorum ventriculus caloris penuria pituitosum alimentum non concoquat, humor in eorum nares influens, & simul

pituitariam membranam ſubtendens, fere eſt frigidus, tenuis & crudus; cui cum minus adſit acredinis, nares, minus quoque ſtimulat, & conſequenter ſternuendo difficilius excerni poteſt hic ipſe humor.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Sternutamentum ſitne homini noxium, an ſalutare? Num convenienter parva Epilepſia vocetur?

ARiſtophanes apud Platonem, loco antea adducto, ſubſidio ſternutationis ſingultu liberatus Eryximacho dicebat, θαυμάζω εἰ τὸ κόσμιον τοῦ σώματος ἐπιθυμεῖ τοιούτων ψόφων καὶ γαργαλισμῶν, οἷός ἐστιν ὁ πταρμός ἐστι. *Admiror an congrua corporis conſtitutio ejuſmodi ſtrepitibus & titillationibus, qualis eſt ſternutatio, delectetur.* Scilicet dubitabat an etiam accideret corpori ſano & ab omni morbo libero. Ariſtoteles non probat illud in ſanis, niſi fiat turgente materia. Ita enim quærit Sect. 4. Probl. 19. *Cur non oportet, niſi turgente materia,* (in Græco eſt, διὰ τί οὐ δεῖ μὴ ὀργῶντα) *coire, neque ſternuere,* (οὔτε πτάρνυσθαι) *neque flatum emittere?* Nec ratio illius eſt incommoda: *An quoniam cum non turget, ſimiliter nos habemus, ac ea quæ ex terra evelluntur, quibus divellitur aliquid alienum,*

alienum, aut relinquitur divulsum: omne autem quod oportet evelli, læsum relinquitur, & sic multo tempore relinquet dolorem. Quomodo & multis, cætero quia haut male habentibus, sternutamentum noxam singularem procuravit. Prout infra patebit. Eoque simpliciter non potest bonum censeri omne sternutamentum, quod accidit homini, cætero quin non ægrotanti, sed expendendum est, à quali caussa proveniat; si enim non fiat turgente materia, & per sternutamentum nihil excernatur, lethale esse, proximo capite ostendetur. Aliàs non inconvenienter, vulgo ipso teste, bonum & auspicatum signum haberi solet, quod in sanis, illud quod molestiam exhibet, & vellicationem narium procurat, discutiat. Sed an recte Sternutatio parva Epilepsia vocatur? Ita placuit plurimis ex Medicorum filiis, speciatim consulatur Riolanus Partic. Meth. cap. 17. Rationem reddit diligentissimus Untzerus lib. 1. de Epilepsia. *Sternutationem* (inquit) *omnes senserunt, adeo esse Epilepsiæ similem finitimamque affectionem, ut permulti non sint veriti affirmare, nil aliud esse levem Epilepsiam, quam fortem sternutationem. Equidem sicut cerebrum, quod in naribus vel instrumento odoratus, acre mordaxque inest, impetu quodam excutere in sternutationibus tentat: ita in Epilepsiis, quod noxium mordax aut naturæ inimicum in ventriculis*

ejus

ejus continetur, expellere nititur. Fit quoque in sternutatione, aliqua convulsionis veluti species in facie, ut hac quoque in parte ad eam proxime accedat. Arnoldus Villanovanus, verbum *parvitatis* expendens, addit materiam, ut in Epilepsia non esse usque adeo venenosam & pungentem, nec cerebrum æque molestare. Verum hæc nondum sufficiunt. Epilepsia est Affectio ipsius Cerebri: motus enim ille convulsivus totius corporis, qui per intervalla recurrit una cum sensus & principum functione læsione, oritur à maligna aliqua caussa, ventriculos cerebri coarctante, & vim eorum expultricem irritante. Sternutatio verò, quicquid aliis visum fuerit, cerebrum non afficit, nec materia eam concitans delitescit in cerebri ventriculis, prout hæc antea fusius deducta & probata sunt. Neutiquam ergo Epilepsiæ adæquari potest Sternutatio: &, si quæ similitudo hic attendi debuerit, ea hæc erit: Quod quemadmodum in Epilepsia cerebri ventriculi, coarctantur, & vis eorundem expultrix irritatur, ut sua contractione illud, quod noxium est, extrudat: ita membrana pituitaria à materia flatulenta & acri vellicitur, usquedum à vi expultricæ Sternutamentum excitetur, & per illud materia illa, ex parte noxia, excernatur. Ergo Sternutatio non respondet Epilepsiæ. Commoda porrò Sternutamenti, sanis scil. obve-

obvenientis, paucis complexus est Jason Pratensis Medicus Zyriceanus in lib. de Morbis Cerebri cap. ult. *Quum* (inquit) *cæteris corporis particulis sic prospectum sit, ut potentes valeant ea elidere, quæ intus pressa turbam moliuntur, hujusque excretionis commodum habeant modum, ac stratas vias, per quas fuga capessitur. Sic & cerebro naribusque non pœnitenda sors obtigit, ipsisque non pessime prospectum est. Alvus retrimenta pessum mittit: ventriculus vomitione se levat: pulmones pituitam tussicula expectorant. Cerebrum, naresque, sternutamento sibi medentur.* Si omisisset *cerebrum*, hæc admittere possemus. quæ adhuc tolerabilia sunt, si per sternutationem nihil vitii habentem, cerebrum censeatur ex consensu juvari, quatenus saburra infra illud in capite collecta excernitur.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Non omnis crebrior sternutatio est noxia. Sæpe tamen mortem procurabit, item cæcitatem, surditatem, & alia incommoda corporis. Quæ omnia ut exemplis probantur; ita in caussas quoque inquiritur.

Crebram sternutationem, noxiam, & cerebro incommodum esse, vulgò per-

persuasum est. Sed, si experientiam libuerit attendere; multos frequenter sternutasse deprehendemus, & nihil tamen incommodi sensisse. *Fere quotidie bis in sternutatione sum* (sunt verba doctissimi Septalii in Comment. ad Probl. Tertium Aristot. Sect. 33.) *& singula aggressione, quinquies saltem sternutamento, & materiam vellicantem, & flatum magno impetu excutio. Avia mea, quæ integra sanitate nonaginta quatuor annos vixit, nunquam in hac actione sternutandi erat, quin saltem vigesies id præstasset: unus ex servis meis cum in hoc munere est, adeo multis sternutamentis concutitur, ut conservi post unam, aut alteram salutem auspicatam deridentes objiciant, ut aliquem conducat mercede, qui sæpius illi salutem præcetur.* Avus meus maternus Antonius van Voorst, vir doctus, jam ferme sexagenarius, rarius quidem sternutabat; sed si per materiæ dispositionem invitaretur, minimum vicies sonorum admodum sternutamentum edebat. In proclivi fuerit iis, qui hæc legent, plura exempla, & fortè etiam domestica, super addere. Nec aliter etiam fieri potest; quando materia adest copiosa, & vis expultrix continuo extimulatur, sæpius iterari debet sternutamentum. Interim continuatum sternutamentum sæpe noxam, & quidem majorem, procuravit. Exemplum habet Cardanus ad Aphorismos Hippo-

Hippocratis col. 817. *Ego vidi juvenem* (inquit) *qui conciderat morbo attonito, quem astantes dicebant vesperi præcedente sternuisse plus quam tricies, & nihil emittebat idque jure; nam magna molestia affectum esse cerebrum indicabant tot inania sternutamenta, ex quo patet, quod quanto plura & sicca atque inania, eo pejora; & si magna & valida sint, eo deteriora, cum validæ fuerint vires, & quanto debiliora, cum debiles. Ideo nuper Ioh. Ludovicus Bovius annum agens 64. post multa signa malè affecti cerebri cum longo morbo decubuisset, sternuit mane uno forsan. 25. vicibus leviter & inani effectu, itaque tertia die periit.* Tertium exemplum mulieris, quæ postquam duodecies sternuisset, mortua est, occurrit apud Fabricium Hildanum Cent. IV. Observ. XII. Similiter apud Famianum Stradam Jesuitam Romanum, Prælect. 4. lib. 3. refertur & examinatur: *Pistorem suburbanum, poste aquam ter ac vicies continenti spiritu sternuisset, vigesimo quarto sternutamento animam efflasse.* Aliàs frequentior sternutatio non quidem mortem, sed incommoda alia procurat. Apud Amatum Lusitanum centuria quarta curat. Medic. cap. 3. sequentia offendas; *Carolus Uicilinus*, (inquit) *juvenis Florentinus, annos natus viginti, ita frequentibus & assiduis sternutamentis per intervalla dedecoratur, ut non solum ab ipsis sternutamentis gra-*

viter

viter molestetur, sed etiam ob ea hominum frequentiam fugiat. Smetius lib. 10. Miscel. Med. testatur, quòd Jacobi Kimedoncii, celebris Theologi Heidelbergensis ancilla, sternutatione continua, supra quatuordecim horas perseverante mirum quàm fatigata fuerit. Varia quoque exempla sternutamenti immoderati, plurima secum incommoda trahentis, offendas apud Chirurgorum exercitatissimum Guilielmum Fabricium Hildanum. Cent. 1. Observ. 24. habet exemplum obstructionis nervorum opticorum ex Sternutatione. *Adolescens* (inquit) *quatuordecim annos natus & phlegmatici habitus cum aquali sponsionem fecit, posse se sternutare ad libitum, imo etiam centies. Deposito pignore cœpit ex immodica titillatione irritatis naribus sternutare circiter centies & amplius. Exin protinus correptus est dolore capitis & hebetatione visus, qui etiam sequenti die deperditus fuit, citra tamen inflammationem oculorum aut febrim.* Centur tertia observ. 58. ostendit quomodo ex immodica & violenta sternutatione profluvium Monstruorum gravissimum & periculosissimum obortum fuerit. *Nobilis matrona* (inquit) *in agro Meldunensi quinquaginta circiter annorum nata, vidua, robusta & plethorica, circa principium mensis Martii Anno 1607. absque caussa manifesta sternutatione violenta correpta fuit: ita ut per quadrantem*

drantem horæ continuo sternutare cogeretur, vixque anhelitum trahere posset: tam violenter concutiebantur interiora omnia. Cæterum in ista agitatione, & concussione viscerum, maximos etiam sentiebat dolores è regione ossis sacri, & imi ventris: menstrua quin etiam simul eruperunt atque profluxere, & quidem non simpliciter, & secundum naturæ ordinem, sed per duos integros menses, absque ulla fere intermissione. Idem testis est Cent. IV. Obs. XIII. Juvenem quendam Coloniensem, cui Odontalgia summas molestias exhibebat, ad plures menses parum quin odoratu mulctatum fuisse, quòd illi Agyrta aliquis, per Sternutatoria intempestive exhibita, sternutamentum æquo frequentius concitasset. Gregorius Horstius quoque lib. I. part. 2. de Morb. Mulier. Observ. 49. singularem casum habet, quem his verbis proponit: *Puella* XI. *circiter annorum ætatis, constitutione corporis tenerior, sub initium anni currentis* MDCXXVIII. *in hæmorrhagiam narium incidit. Hac subsistente sternutatio subsequitur per dies aliquot; certis intervallis magnis conatibus affligens.* Hæc verò incommoda à sternutamento procurata fuisse, nemo mirabitur, si attenderit ad membranam pituitariam, ejusque descriptionem, supra cap. VII. propositam atque cum illa ab ipsa cerebri Meninge originem trahat; ubi & frequentius, & validius, simulque irritum

fuerit

fuerit ſternutamen,(quoties hoc contingit, materia ſternutationem continens non excernitur) cerebrum inſigniter, affici, & ſimul partes membranæ illi adjacentes, nullum dubium eſt.

Caput Decimumoctavum.

Nimia & æquo frequentior, ac proinde multis modis noxia Sternutatio, quomodo compeſcatur? Examinantur varia variorum remedia.

STernutationem æquo frequentiorem & in tempeſtivam multis modis noxiam eſſe, ex ſuperioribus abunde liquere poteſt. Cum verò remedia adhiberi conſueverint adverſus illa, quæ valetudini inimica ſunt; hoc capite examinare convenit remedia, quæ à medentium filiis ordinario adhiberi ſolent. Paulus Ægineta lib. 3. Medic. cap. 24. *Ubi ſternutamentum frequentius eſt,* (inquit) *medicamento ſedari debet: infunditur nardinum, vel roſaceum, vel glycelæum: jam quæ odorem movent, ſternutamenta ſedant, aniſum, ocymum, ſtipulæ contuſæ: ſed ante hæc omnia, caput deſiccandum eſt ſmegmatis ex nitro & pumice factis, vel etiam Aſclerio vocato utendum: & Conſtantini ſapone, & ſale Cappadico, & ſimilibus.*

Eadem

Eadem fere habet Aëtius lib. 6. cap. ult. Plura, & plane singularia exhibet Plinius lib. 28. Nat. Hist. cap. 6. *Sternutamenta* (inquit) *pinna gravedinem emendant, & si quis muris nares, ut tradunt, osculo attingat. Sternutamenta & singultum. Ob hoc Varro suadet palmam altera manu scalpere. Plerique anulum è sinistra in longissimum dexteræ digitum transferre, aut in aquam ferventem manus immergere.* Locus vitiosus & verba plane transposita. sic enim legendum: *Sternutamenta gravedinem & singultum emendant. Sternutamenta pinna, si quis muris nares osculo attingat. Ob hoc Iason Pratensis loco dicto*: Nimias sternutationes (*inquit*) coërcent, si calor nocumento est, oleum roseum, melinum, salignum, violaceum, nympheum. Gelida quoque in faciem affusa, solani succus, aut lactucæ gargarissatus. Si frigus incommodat, nardinum calens in aures stilletur, frons ac tempora liniantur costino, irino rutaceo. Decoctum anisi cum apio si odoretur, saluti est. Myrrha auxiliatur cum thure & vino odorato trita, & naribus illita. Varro existimavit sternutamenta consilescere, si palmam altera manu confrices. Sunt qui jubeant annulum è sinistra in dextræ longissimum digitum transferri. Hæc fieri non possunt sine meditatione, quæ quum motus quidam sit, calefacit. In aquam quoque frigidam

dam manus demittere conducit. Nasi confricatio, & angulorum, qui oculis sunt interni, mirifice juvat. Capitis in altum elevatio, lacertorum pandiculatio, illum intentio, spiritus cohibitio, palati defrictio, subitus animi motus, seu magna consternatio. Hæc enim omnia modo quodam naturæ calorem expergiscunt. Avicenna inquit: Juvantur pisantes hausta per nares sanie, quæ ex seminassis renibus distillat. Apollonius habendas in ædibus ciconiarum pennas censuit, atque ita fieri, ut nequaquaquam infantes sternutant. *Hæc illa*. Apud Forestum lib.7. Observ. cap.37. *sequentia occurrunt*: Si aër, (*inquit*) ut spiritus mordax, aut rei cujuspiam odor, ut rosarum bene multumque redolentium, vel gratus & acutus ut cinnamomi, aut tenuis quædam substantia naribus recepta, qualis est pulvis euphorbii, veratri, costi & similium, ex quibus medicamenta moventia efficiuntur, hanc excitant (quod sæpe evenire solet) qui istos, pulveres præparant, oportet, ut nares sibi diligenter obturent, ne sternutamentum iucurrant. Vel pro remedio erit contraria substantia naribus admota, ut est opium, mandragoræ radicem vel panem olfacere, quæ omnia morsum contrarium caussarum frangere & obtundere celerrime possunt. *Hæc quoque forestus.* Quæ omnia verbo tenus exscripta sunt ex

D Ron-

Rondeletii Meth.cur morbos lib 1. c
interim non ſimpliciter convenit hæ
poſuiſſe, examinanda quoque ſunt
initio ſuperſtitioſa remedia debent ſ
vere: ad quæ vel maximè referre c
illud, quod Apollonius Tyanæus ſu
ſe perhibetur, & cujus ex antiquis m
ſolus Aëtius. Quis enim crediderit,
pennæ ciconiæ detineantur in cubicul
ναπον eſſe, ut pueri ſternutent? Nec
ſuperſtitioſum remedium, Varroni
ſolitum: quæ enim palmæ alterutra
confricatæ vis ineſt adverſus æquo c
ra ſternutamenta? multo minus t
dum annuli tranſlationi è ſiniſtra m
longiſſimum digitum dextræ. Rid
autem muris nares oſculari, ut ceſſe
nutamenta. Si forte contigerit ſtern
nem ad hæc & ſimilia aliquando ſ
nari, exiſtimandum eſt contingente
nec, quòd nulla cauſſa Phyſica ſub
remedio haberi debuit. Præterea, q
præſcribuntur, quæ vim habent, r
ſedandi quam provocandi ſternut
Ocimum commendant Ægineta
tius, ſed aliud exiſtimavit Dioſcorid
cap. 135. *Semen ocimi* (inquit) *naril*
ſtum ſubinde movet ſternutamenta, q
herba efficit: ſed oculos premi neceſſum
ſternutamentum urget. Quò vero
commode procedat, expendend

à qua cauſſa moleſta & crebrior ſternutatio concitetur. Quod ſi ab excrementorum acrium in nares influxu originem trahat, irritatæ nares ſunt demulcendæ (ſunt verba Felicis Plateri) *vapore aquæ tepidæ, ſi illum admittant. Tingendo vel inungendo eas ſimiliter lacte, butyro, oleo, præcipue oleo ſeminum cucurbitæ, papaveris, hyoſciami. Item albumine ovi & mucilaginibus: omnibus tamen recentibus. Odor narcoticorum, ut Opii: item olei roſacei & de ſalicibus, humoribus acrimoniam reprimendo, ſternutationem emendat. &c. Auribus immittuntur eandem ob cauſſam olea, uti Amygdalarum dulciū, Anethinum, Chamomillæ, roſaceum, ſalicum, cucurbitæ, ſuccus item Baſiliconis. Caput quoque ſi decocto Baſiliconis lavetur, proderit. Et ſi flores Chamomillæ in pulvino ſubſternantur. Pectus ſi fomentetur, roborando illius loci muſculos, ſternutationem mitigat, hoc modo: Rec. flor. Chamomil. P. II. flor. Meliloti, fol. ocimi, furfuris ana P. I. decoctis ſtuppa indatur, & leviter preſſa applicentur.* Hæc omnia rationi quam conſentanea ſunt, niſi quod videatur excludi potuiſſe ocimum, ob illa, quæ antea ex Dioſcoride obſervata ſunt. Amatus Luſitanus, juvenem ſuum, quod bilioſus eſſet, & *ſanguinem* (ut dicit) *admodum craſſum haberet*, curavit juxta Methodum, *quam his verbis, proponit*: Ex jecoraria vena, brachii dextri ſanguinis uncias tres extrahere feci-

mus, ac epotis quinque refrigeranti
sanguinem alterantibus, syrupis,
quoddam pharmacum ei propinavi
quo sequenti die capite raso illi empl
hoc admovere faciebamus. *Rec.* M
interioris cucurbitæ pistæ uncias qu
portulacę pugillum unũ, ova integra
ro duo, cum oleo rosaceo & de
pauco adjecto aceto, in mortario mi
fiat emplastrum. Item per nares oleu
attrahebatur. *Rec.* Olei rosarum, &
curbita, de nymphæa, ana uncia
diam, misce, & ex manu naribus, a
æger, aut per eas injiciantur,
& caput emplastri vice illinere op
est. Sed interea dum hæc fiebant: a
Nympheæ floribus saccharum p
conditum, conservam dictam, singu
bus singulas uncias jejuno stomac
medebat, ac optimo victu proposit
intra quindecim dies evasit. *Hæc a*
Quod nondum cognita esset sanguir
culatio, venam jecorariam secuit.
larem quoque casum, cum sua cur
habet Forestus lib. 10. Observ. 1
ita loquitur: Si ex acri catarrho, stern
molesta est & præter naturam, & ac
pe frequens, ut caput magis repleat.
admodum contigit famulæ Johanni
cisci de Bodegem, quæ cum ex cat
salso acri molestam & valde crebran
nutat

nutationem pateretur, neque ab aliis medicis curari posset, uxor ejusdem Johannis de Bodegem, cum hanc miseriam longo tempore in famula sua, spectasset, me accessit, ac consilium pro eadem obnixe petebat. Jussi ut famula per nares sæpe attraheret lac tepidum: quod cum ter quaterve fecisset, miraculi instar, statim cessavit sternutatio Credebam enim ex acri catarrhi descensu ad nares sternutationem irritari: neque mea opinio mefefellit. Nam ex lacte tepido per nares attracto, salsedo & acrimonia, quæ nares pungebat, mitigata fuit, & sternutatio molesta ablata. *Hæc quoque Forestus.* Denique despiciamus, quomodo Horstius suæ puellæ, cui crebrior sternutatio per quam molesta erat, succurrerit. *Nostram* (inquit) *observationem quod attinet, quanquam primo contumax symptoma videretur, ita ut aliquando centies, fere continuo magno conatu, totiusque concussione, sternutamentum prehenderet, nihil vel parum juvantibus localibus, utpote lacte solitarie, tum etiam cum mucilagine sem. cydon: psyll. nec non oleo amygdal. dulce & similibus ad nares attracto, capitis vertici sacculis ex roborantibus & siccantibus impositis, ipsisque pedibus balneis exherbis digerentibus & attrahentibus ordinatis, &c. Tandem tamen mitius reddebatur, ubi primo pilulis communibus ventriculus, ac postea clystere acriore venter infimus*

à suburra copiosa plurimum exonera
Dum autem malum hoc Hæmorrhagia fre
narium præcessisset, eaque non à copia, s
tius à crimonia peccante sanguinis obort
set, concludendum sane sanguinis istius a
aliquid in anterioribus membranosis
partibus (probo rationem, si substitu
propter præcedentia, membrana pitu
substitisse, temporibusque certis, ob ex h
nes excacochymia ventris infimi sublata
pultricem facultatem irritasse tam diu,
correcta caussa antecedente, capitis r
pedetentim vi caloris nativi consumpt
rit.

CAPUT DECIMUMNONU

Expenduntur quædam remedia à
Platero, Amato Lusitano, & al
versus crebriorem sternutationer
posita.

QUòd quædam adhuc occurra
media, ex parte sedandæ sternu
ni servientia, & naturæ illius ulter
clarandæ; operæ pretium fuerit il
examini hoc caput consecrare. Pr
illa Platerus *his verbis*: Extremitatu
quit) ligaturæ, seu frictiones juvant.
si aures, oculi premantur, aut fric
Nasus trahatur, palatum digito fri

caput pectinetur. Spiritus retentionem uti ſingultum curare diximus; ſic ſternutationem emendat: quam rectis preſſis naribus oreque conſtricto retinebunt. Si perterrefiant, citius à ſternutatione, uti & a ſingultu liberabuntur. Sed & ſpiritus valida attractio juvat, quod cum odorando panem facere imperent, odore panis illud fieri vulgus credit. Somnus eandem ſedat. Tenebræ ad idem proſunt, cum luce & ſplendore facile ad ſternutandum, uti dictum, impellantur. Qua de cauſa quibus tela oculi, in illius punctura detracta eſt, in obſcuro aliquam diu collocantur. Quod & in aliis morbis, quibus ſternutatio obeſt, facere proderit. Reſupinatus, pulvinari capiti ſubjecto collocetur. *Hucuſque Platerus.* Varia hic præſcribuntur, quæ ex re fuerit ſigillatim examinare. Atque primò quidem conjunguntur illa remedia, per quæ contingit ſpiritum acrem membranam pituitariam ſubtendentem attenuari & diſcuti. Nam extremæ partes quando fricantur, ſpiritus vitales eò ut tendant, blanda quaſi titillatione invitantur, qui & partibus illis ligatis atque validius conſtrictis ſuccurrere laborant. Acrio vero hic ſpiritus, ſi aut palatum fricetur, aut naſus trahatur, aut caput pectinetur, diſcutitur, aut ſaltem diſtrahitur, quo minus efficatiæ ad ciendum ſternutamentum exercere poſſit. Quod verò ſpiritus re-

tentio illi sedandæ servire dicitur, ec
dit, quòd dum sternutamus, Tho
consensum debeat venire, & nisi ad
spiratio, sternutamentum peragi
queat. Præterea, quando spiritus co
mitur, διαθερμαίνεται τὸ ἐντός, *interiora*
lescunt, ut recte observat Theophrast
de Igni, atque, hac ratione acrior sp
attenuatus, & minus vellicat, & facil
scuti potest. Nec aër quoque adm
potest materi acri excernendæ,
prà annotabamus. Quod jubeat spi
potius cohibere, compressis naribus, &
ideo fieri putandum est, quòd sim
pruritum & agitationem illam sp
acrior, de quo sæpius jam egimus, att
tur & discutiatur. Cum his confera
quæ diximus cap. 15. ad Probl. plu
nius rei sæpe caussæ adferri possunt
culsis & horrore perfusis in procliv
esse sternuere, nemo mirabitur, si c
rit hac ratione spiritus ad partes inte
propelli. Idem præstat spiritus valida
ctio, quod simul hac ratione avertatur
tus acris, mordax, & vellicans à me
na quam præ cæteris vellicare solet
& somnus sternutationem sedat;
quod vellicatio spiritus hujus acris
sentiatur; aut quod à vaporibus blan
bus è ventriculo ascendentibus, & r
sensorios obstruentibus, blandior

tur: aut quod pro edendo sternutamento præter vim expultricem concurrere quoque debet facultas animalis, speciatim imaginativa. Tenebras quoque subsidio esse nemo mirabitur, si cogitarit per absentiam lucis minus intendi spiritum hunc acrem simulque hominem ad quietem facilius componi, quam minuendo sternutamento servire in confesso est. Lac tepidum naribus attractum convenienter etiam adversus sternutationem æquo frequentiorem præscribitur. Nam sic & halitus spirituosi, acrimonia & simul membranæ nares vestientis pruritus minuitur, utraque verò hac molestia sedata, non potest non quoque sternutandi impetus retundi. Alia remedia habet Mercurialis lib. 5. de Febribus: *Oleum* (inquit) *anethinum vel laurinum auribus instillatum vim habet comprimendi sternutationes. Marina etiam spongia aceto immacerata, & naribus adhibita vim habet cohibendi sternutationes.* Rationes ex antecedentibus non sunt obscuræ. Quoniam huc devenimus, singulare aliquid, quod Amatus l. d. habet, & proponi & examinari debet. *Item* (dicit) *scire decet, quòd qui coitui sunt dediti, & ab eo per dies aliquot abstinuere, & mulierem pulchram contemplantur, aut vident, brevi in sternutamenta labuntur: sed sternutamenta hæc coitus facilè solvit.* Ratio in mundo est, seminis per retentionem acrimo-

crimonia adaugetur, atque viso ob
pulchro, illius accenditur desiderium,
quadam sanguinis ebullitione; qui à
nis acrimonia ex parte adustus, & pe
culationem, eum devehentibus arteri
que ad membranam pituitarium &
quæ nares ambit, delatus, vellicati
molestam simulque sternutationem p
rat. Quæ cessat, aut saltem minuitu
coitum.

CAPUT VIGESIMUM.

*Quid existimandum sit de sternuta
filii Sunamitidis, quem Prophet
sæus è mortuis excitavit.*

Æ Quo crebriorem sternutatione
mulque remedia adversus
præcedentibus capitibus expen
Quum verò constet, eam in quib
morbis quam salutarem fuisse, atque
de candidum omen, quando æger
roquin conclamatus habebatur, præ
ex ordine convenit agere de morbis
bus aut auspicato, aut inauspicato a
Quod priusquam agimus, expender
venit miraculum in Scriptura Sacra p
situm, in quo Sternutamenti men
Eoque lib. 2. Reg. cap. 4. occasio
Schunammitidis per Prophetam El

à mortuis excitata, ita legitur Comm. 33. & seqq. Elisæus *ingressus occlusit fores post utrumque : & supplicavit Iehovam. Deinde conscendens lectum incubuit puero, & imponens os suum ori ejus, & oculos suos oculis ejus, & volas suas volis ejus, extendit se super eum : ut incalesceret caro pueri. Postea rursus ibat per domum modo huc, modo illuc, & conscendens extendebat se super illum : tandem sternutavit puer usque septies, & aperuit puer oculos suos.* Quam Historiam considerans, eximius Medicus atque Philosophus Franciscus Vallesius sacræ Philos. cap. 35. Si liceret dicere, *inquit*, puerum non omnino fuisse mortuum, sed syncopen passum, naturalis fuisset hæc Elisæi curatio : nam syncope correpti, extinctione naturalis caloris periclitantur mori, solentque fotu & calefactione (maximè anhelitus humani : is enim calor congener est, & vitalis) revocari. Igitur Elisæus admovendo suam, pueruli carnem calefaciebat, & per domum huc & illuc discurrens ipse calescebat, ut ita magis puerum recalefaceret. Prima itaque admotione calescere cepit pueri caro, secunda verò, postquam Elisæus motu magis incaluerat, major facta est puero caloris accessio, cæpit oscitare, atque oscitavit septies, calore jam incipiente flatum agitare, ac discutere : crescente vigore, & spiritibus animalibus moveri cæptis, oculi sunt aperti, ac dein

aliorum sensuum instrumenta, & pu
officia vitæ revocatus est. *Hactenus Valle*
Cæterum hæc Vallesii dissertatio
cedit per omnia ex falsa hypothesi.
tum siquidem ex Scriptura filium S
nammitidis mortuum fuisse. Exp
enim verbis hoc non solum dicitu
pite jam laudato 4. vers. 20. & 32. ve
etiam repetitur ejusdem libri cap. 4
1. Nihilominus haut putarim sternut
nem frustra fuisse adhibitam. Cum e
Opt. Max. Deus sæpe circa miracula, n
ræ, licet per se ad extraordinarium illu
fectum non sufficientis qualecunque s
dium advocare consueverit; dicere p
mus, puerũ, quem constat ex v. 19. d. c
capite laborasse, & habuisse caput opple
humoribus, qui spirituum vitalium me
occupantes, eum suffocarint: redditi
men illi per Elisæum calore, vita, atqu
gore, caput fuisse confortatum, atque
nutando expulisse humores se gravan
puerum verò ipsum, purgato hoc mod
rebro, perfectæ sanitati fuisse restitutu

CAPUT VIGESIMUMPRIMU

In gravedine quatenus sternutatio
ominis sit? Quomodo in Apople
Caro & Lethargo prosit? M
propinqui non sternutant.

STernutamentum ægris obveniens boni vulgò ominis habetur, & creditur candidum exhibere auspicium. Unde juxta Ballonium ad Theophrasti librum de Vertigine p. 9. *Vulgò è Xenodochiis, jubent ægros exire cum primum sternutant, quod bono id fiat, omine, & quod in limine sint sanitatis quasi victore calore naturali materia si: cocta & mificatati.* Speciatim capitis gravedini sternutamenta medentur. Inde Plinius lib. 38. c 6. dicit: *Sternutamenta gravedinem emendant.* Quatenus scil. ejus subsidio caput liberatur noxiis & præpedientibus humoribus, quibus antea gravatum erat. Existimat Galenus variis in locis prosperum signum esse sternutamentum in ægris, gravedinosis; tum demum, quando excitatur ab humore attenuato & rarefacto, calore autem rarefacto: cum haut præter rationem obloqui videatur Ballonius loco dicto, conveniens fuerit ipsius verbo hoc loco subjecisse, *quæ ita habent*: Mirari subit cur Galen. Dicat in bono sternutamento humorem rare fieri. Contra enim fieri videtur. Nam initio sternutamentorum materia est tenuis & liquida, acris, idque initio morbi: sub finem morbi salutari sternutamento materia est spissa, crassa, glutinosa, linteis adhærens. In coryza idem fit. Nam initio coryzæ materia est tenuis, acris, exurens; Ergo non tenuis, ut placet Gal. & tandem retusa ac mitificata

acrimonia, humore non rarefacto, sed cr
siore reddito coryza cessat. Humor ut v
coquatur requirit mixtionem, temperat
nem, quæ facit ut humor non sit ἄκρητ
& concoctionen quandam. Quid ergo
pus rarefactione in materia sternutamen
cum ipsa tenuitas officiat? Initio mor
rum ἐδῃμαλικῶν frequentius sternutatu
in utilius, & nihil nisi ichor deurens exc
nitur. Id quod symptomaticum est. In
morborum materia fit crassa, tempera
retusa, mansueta, minus tunc sternutat
& tamen remanet aliquid acriusculu
quod pungit & stimulat. Hinc sternu
mentum est motus involuntarius parti
morbo, partim à natura excitatus. *Hact*
Ballonius, quibus ego nihil addo. Non
tandum verò est, excuti hac ratione ex
mentum, cerebri ventriculis contentu
sed illud duntaxat, quod in gravedine
lestiam manifestam exhibet, in hæret
membranæ pituitariæ, atque partibu
propinquis. Nec alia ratione sternutam
ta medentur caro, lethargo, & Apople
si modo obveniant ultro, & natura ha
tione se exonerare laboret. Alias, *si le*
gico vel apoplectico applicentur sternuta
fortia & non sternutet, mortale est, nam n
ra jam est devicta, & succumbit, quia am
se non potest juvare ad expellendum noc
ut loquitur Valescus de Taranta lib. 1.

Ion. cap. 9. cui addo Jasonem Pratensem, qui l. d. *ita loquitur*: Morbo (*inquit*) si probe concocto, & viribus nonnihil recreatis sternutatio superveniat, ut indicium non obscurum est naturam prævaluisse, ita non mediocriter sublevat. Contra si in hoc sit medicus, ut idoneis medicamentis sternutationes proritet, & omnino non respondent, signum est difficilem fore curationem, quodque res in ancipiti volvatur. Quando quidem naturæ facultates jam præmortuæ apparent, quum neque sensitiva vis sentiat, & ociosa succumbat expultrix. Hac ratione qui morti sunt proximi, & jam accincti, ut hinc se recipiant, abeantque in longinquam regionem, eorum nemo, quamvis id strenue coneris sternuet. *Hæc Pratensis*. Moribundos non sternutare, norat quoque Aristoteles: eoque Sect. 33. Probl. 9. inquirens cur sternutamentum sacrum sit, hæc inter alia habet: διὸ καὶ τοὺς ἐκθνήσκοντας κινοῦσι πταρμικῷ· ὡς ἐὰν μὴ τοῦτο δύνωνται πάσχειν, ἀνιάτους ὄντας. *Quamobrem moribundos aliquando sternutatorio tentamus: tanquam si, hoc non afficiantur, spes nulla subsit salutis.*

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

Sternutamenta aliquando ex accidenti profuerunt. Ut in difficili partu, & in excluden-

cludendis secundinis. Prosunt q
Hystericis, haud æque gravidis. S
laris casus de sagittæ particula st
tando per nares excussa.

ALias sternutamenta ex accide
quibusdam morbis prodesse s
Ita *primo* Hippocrates lib. 5. Aphorism
mulieri ex utero laboranti, aut diffic
parienti sternutamentum prodesse sc
In quo sternutamentum non solum a
cimus veluti signum aliquod, signif
naturam, quæ ante quasi emortua erat
citari: verum etiam tanquam caussa
accidenti agentem; spiritu siquidem
premis violentius, depulso, totoque co
re per consensum concusso, accidit aliq
do magna vi musculos epigastrii con
mi, fœrumque loco moveri. *Secundo*, p
est quoque simili, per omnia ratione
nutatio ad excludendas secundas, seu
cundinas, quas Græci ὕστερα vocant. C
sideratione dignus est Hippocratis A
rismus LXIX. lib. 5. ἐς ὑστερίων ἐκπτ
πταρμικὸν ἐπιτ.θεὶς, ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκ
καὶ τὸ στόμα. *Ad secundas, deturbandas stern*
torio immisso, nares & os comprimito. Qua
cere velit: Sternutatorio medicamento,
misso naribus, nares & os manu obtura
spiritus ad inferiora descendens, stern

m

menti violentia & concussione, secundam, cujus in terventu fœtus utero nectebatur, deorsum ferri faciat. Idem notum fuit Celso l.2. cap. 8. *Quæ locis laborat*, (inquit) *aut difficulter partum edit*, *sternutamento juvatur*. Quomodo & Aëtius 4. Tetra. serm. 4. cap. 15. sternutatione secundas excuti docuit. Hystericis quoque mulieribus sternutamentum prodesse solet. Ita enim habet Hippocratis Aphorismus xxxv. lib. 5. Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ ἢ δυστοκούσῃ πταρμὸς ἐπιγενόμενος ἀγαθόν. *Mulieri Hystericæ*, *aut difficulter parienti sternutamentum superveniens*, *bonum est*. Sternutatio autem in hysterico affectu bona est, ut caussa, & ut signum. Ut signum, quia natura antea languida & velut oppressa, (patet in apnæa) superveniente sternutatione velut exuscitata cernitur. Ut caussa: siquidem sternutatio vehementiore jactatione partim naturam excitat, partim corporis excrementa partibus impacta excutit. Haud æque gravidis sternutamentum conducit, siquidem vim habet ligamenta fœtus ac secundinas rumpendi, & consequenter partum elidendi. Eoque, si gravidis uteri suffocatio acciderit, haud tutum fuerit, πταρμικὰ aut medicamenta sternutatoria adhibere. *Imo*, ut usurpem verba Mercurialis ad Aphorismum modo citatum, *si quando mulieres prægnantes ultro frequenter sternu-*

sternutant, optimum consilium est, omn
dustria prospicere, ut sternutamentum co
scatur, maxime verò cum proximæ sunt pa
quo tempore periculum esset ne intempe
parerent, & abortum facerent. Quoniam
devenimus, non possumus non singu
alicujus casus meminisse. Quum ste
tando, natura quod molestum est, lal
excernere; fieri potest, ut aliquid p
naturam circa partes capitis anteriore
tentum, sternutamentum moveat n
stissimum, tam diu caussa molestans ib
detinetur, quod apud Alex. Bened. l
de curand. morb. cap. 4. memorabile
de quodam Græco, qui vulneratus
tempora per sagittam, post annos v
quinque, concitatis supra modum st
tamentis, magno pruritu inter maxim
natus, è naribus sagittæ frustum, digit
dii longidudine, ferrea acie rejecit.

CAPUT VIGESIMUMTERTIU

Sternutatio multis morbis, si sup
niat, mala est: speciatim pleu
peripneumoniæ, & omnibus p
morbis. Item hæmorrhagiæ na
Herninæ, Pestilentiæ, & febri
communi consideratis. Post coitu
nutare malum est.

NOn minus multis morbis sternutatio obest, & incommoda est supra quam dici possit. Hippocratis est effatum lib. Prænot. Sect. 2. Sect. 49. κορύζας καὶ πταρμοὺς ἐπὶ πᾶσι τοῖσι περὶ πνεύμονα νοσήμασι καὶ προγεγονέναι, καὶ ἐπιγενέσθαι κακὸν, ἀλλ' ἐν τοῖσιν ἄλλοισι νοσήμασι τοῖσι θανατω δεστάτοισιν οἱ πταρμοὶ λυσιτελοῦσι. *In omnibus pulmonis morbis gravedines & sternutationes, tum præire, tum subsequi malum. Verum in aliis maximè lethalibus morbis, sternutamenta utilitate non carent.* Galenus in commentario caussam adferens mali, quod sternutatio pectoris morbis procuret, ait: *Sternutationes concutientes vehementer Thoracem, labefactant, & lædunt etiam pulmonem.* Etenim maximùm esse consensum naribus cum pulmone docet Aristot. 1. probl. sect. 33. Itaque hoc constituto, jam apparet sternutamentum in vitiis pulmonum, ut & in pleuritide, summo jure esse malum, tum ut signum, tum ut caussam: Ut signum, quia quando fit à pulmone, tunc signum est illum esse valde incensum, quippe qui vapores illos fervidos, & mordaces producat. Ad hæc concussione illa non modo latera, verum etiam ipsi pulmones pessime agitantur, & divelluntur, unde affectio mirum in modum augetur. Unde nunquam probare potui

potuiDioclem,qui apudCæliumAure
lib. 2. acut. paſſion. c. 29. peripneum
& pleuritide curandis acria auxilia ad
bat naribus, & capiti, quæ vim ſter
mentum ciendi habent. Præterea
Platerum l. d. *Nocet Sternutatio in he
rhagia narium, quia eam commovet; in ru
quia in teſtinum propellit; in oculorum a
bus, quia lacrymas excutit, ſanguinem
propellit.* Imò, ut obiter ſupra quoqu
notabamus, vehementior, ſternutati
ſolum obeſt herniofis, ſed ſæpè he
quoque producit. Nam, ut pro me
optem verba doctiſſimi Mercurialis
Comm. ad dictum Aphoriſ. 49. Hipp
tis: *Scimus vehementibus ſternutation
ſicut & continuata & ingenti tuſſi interd
ritonæum & Scrotum ita male affici, ut
ces deinde conſequantur irremediabiles,
admodum & curſu, & aliis magnis mo
ut eſt quoque apud Plautum.* An in C
rum affectibus ſimpliciter improba
beat ſternutatio, infra diſcutiemus,qu
de Sternutatoriis & eorum uſu ager
fuerit. In peſtilentia quoque omino
ſternutatio. Occaſione peſtis non n
nerunt quidem illius Hippocrates &
lenus; inter Symptomata autem refe
Thucydide, in famoſa illa deſcriptio
ſtilentiæ Atticæ. Pauci ex illis,qui ex p
ſo de Peſtilentia ſcripſerunt, ſternuta

q

quoque meminisse solent, si excipias Johannem Baptistam Susium, & Petrum Parisum. Cardanus quoque in lib. 5. Aphorism. Hippocr. meminit pestilentiæ, in qua cum frequentes sternutationes ægris acciderent, brevi moriebantur. Singulare exemplum habet Vir Doctissimus & experientissimus D. Isbrandus de Diemerbroek lib. 4. de Peste Hist. 18. quod ex re est *cerebri firmissime infixum esse.* Malim dicere, hinc liquere, venenum illud cum sanguine ad membranam pituitariam usque delatum, molestam vellicationem, & simul frequentem sternutationem procurasse. Probo interim sensuram, viri egregi quam lib. 1. cap. 15. §. 7. in Riverium stringit, neque enim crediderim *in vera pestilentia sternutamenta spem solutionis adferre.* Febres promiscuas sæpè quo sternutatio frequentior comitatur. Mercurialis lib. 5. de Feb. cap. 16. *Febricitantibus* (inquit) *est vel frequentissima sternutatio, vel irritus sternutandi appetitus, quæ symptomata fiunt à flatibus, interdum etiam succis & vaporibus nares mordentibus.* Caussam veram tangere videtur. Molesta verò talis sternutatio, vel ad modũ Symptomatis duntaxat considerata, febri laborantibus existit eoq; non minus convenienter Mercurialis eo loco remedia adversus ejusmodi Symptoma præscribit, quàm nos illius meminimus. Postremo nõ possumus

mus non quoque inquirere, cur mox
tu sternutasse, malum sit. Plinii verbu
lib. 7. cap. 5. *Oscitatio in nixu letha*
sicut sternuisse à coitu, abortivum. Q
Plinio adducit A. Gellius lib. 3. Noc
tic. cap. 16. Ratio in mundo est. S
tando enim semen excutitur, & con
impeditur. Similiter malum quoqu
si mulier, quando uterum ferre incip
quentius sternutaverit. Ut usurpem
Bonacioli de Formatione fœtus c
Partus (inquit) *vulvæ, perinde atque*
bus pediculati fructus, connecti dilucet.
ii ita junguntur, ut prima sui generati
validioribus admodum nexibus, quomo
sum simul ac absoluti fuerint, vieri & l
suaque vi decidui inhærescunt, & ob i
tulis spirantium aurarum flabris passi,
me excidunt.

CAPUT VIGESIMUMQUAR

Ptarmica, Errhina quoque dicta, u
rentur. Dubium est, quid sit
ptarmica. Sternutatoria medi
ta non perveniunt ad Cerebrum.
men ex accidenti illi succurrunt.

QUòd tamen consuetum sit
Asclepiadææ, medicamentis

dam ſternutationem pro certorum morborum curatione provocare, primo Medicamenta illa in genere conſiderabimus, deinde in ſpecie ac definitè, & poſtea, quibus ac qualibus morbis convenienter applicari poſſint. Medicamenta ergo, ſive remedia illa, vulgo vocantur, præeunte Hippocrate lib. 7. Epid. πταρμικά, ſeu, *Sternutatoria, aut ſternutationem cientia* : à Galeno lib. 5. Simpl. cap. 20. ἔῤῥινα quod naribus, quas Græci ῥῖνας vocant, capitis purgandi gratia infundantur. De iis hæc habet Mercurialis lib. 2. *de Compoſ: Medic. cap.* 14. Sternutatoria (*inquit*) fiunt ſemper ex medicamentis in pulverem redactis; quia ſi debent excitari ſternutamenta, neceſſarium eſt ut vis cerebri expultrix maxime ſtimuletur, ad quod opus eſt medicamento, quod poſſit & mora, & ſubſtantia ſua mittere vapores in cerebrum, qui ſtimulent; id quòd ſane agunt pulveres, agunt quoque interdum & fumi, & præſertim ácriores. Materia ex qua fiunt iſti pulveres eſt ſinapi, caſtoreum ptarmica, euphorbium, piper. Modus utendi eſt, ut vel pulveres iſti per arundinem, vel per pennam inſufflentur in nares, vel ut pyxis ſupponatur naribus, & deinde ex ea attrahatur per nares pulvis. *Hæc Mercurialis* : quæ tamen ſimpliciter vera admitti non poſſunt. Sed, antequam illa examinamus, ex re eſt ſubjicere illa, quæ habet Sen-

nertus lib. 5. Instit. Med. part. 1. S
cap. 18. *ubi ita loquitur* : Errhina pi
non è ventriculis cerebri, sed circa m
ges hærentem, in nares proliciunt
stant autem id caliditate ac nitrosa,
genti ac acri facultate, quâ prædita
His enim excrementa fundunt &
gunt; citra tamen manifestam cereb
tationem, quæ postea sponte ad na
fluunt. Talia autem fiunt *ex majora*
ta, anagallide, brassica, beta, radice ire
gella, pulegio, origano, marrubio, cycl
cucumere, agresti, chelidonio, gentiana
pulsatillæ. πταρμικὰ seu Sternutatoria
quæ mordacitate sua atque acrimonia
bri facultatem expultricem irritant
lacessita atque offensa medicamenti
monia, id depellere cupiens, simul c
menta, quæ abundant, elidit, & qu
non tantum ea, quæ meningibus c
circumfusa sunt, verum etiam quæ in
cerebro hærent. Sunt autem talia qua
ex errhinis modo enumeratis, si sub
conterantur, ut per collatorium ad
brum usque penetrare possint. Præte
vero sternutationem cient: *piper a*
Zingiber, elleborus albus, pyrethrum, casto
cariophylli, ptarmica, euphorbium.
quoque Sennertus. Quænam verò pr
sit herba *Ptarmica* dicta, non conven
ter Botanicos. Vulgò censetur esse dr

culus hortensis. Pro quo ad Theophrastum lib. 6. pag. 522 Bodæus à Stapel aliam plantam, exhibendo quoque Iconem, substituit, quæ apud Batavos quoque frequenter ocurrat in locis paludosis. Sed destitui vi sternutamenta movendi ipse fatetur. *Planta,* (inquit) *cujus imaginem damus, omnes Ptarmicæ notas habet, præterquam quod sternutationes non moveat, saltem apud Batavos non præstat. Sed hoc propter cæli, aëris, terræque frigidiorem & humidiorem temperiem evenire existimamus. In calidis autem regionibus omnia acriora, calidiora, odoratiora, efficaciora.* Qui herbas sternutamento ciendo destinatas in pulverem redigunt, dum hoc agunt, quàm cauti esse debent, ne dum aliis sternutatorios pulveres præparant, ipsi molestissimo sternutamento corripiantur. Eoque (ut usurpem verba Rondeletij lib. 1. Meth. Med. cap. 70.) *qui pulveres hos præparant, nares sibi diligenter obturent, vel, pro remedio erit contraria substantia naribus admota, ut est, opium, mandragoræ radicem, vel panem olfacere, quæ omnia morsum contrarium caussarum frangere, & obtundere celerrime possunt.* Ut verò instituto nostro, & principiis illa quæ de Sternutatoriis medicamentis dicenda sunt, accurate respondeant, non pigebit Dn. Schneideri verbis uti. Qui lib. 3. cap. 11. pag. 433. ita loquitur: *Supra notavimus* (lib. 2. cap. 2.)

errorem eorum, qui credunt, ptarmic
usque ad cerebrum ascendere ac de eo h
ad os & nares trahere. Nam hæc pharm
acredinem & vim penetrandi ex proxi
minimis vasis oris & narium aquatior
morem alliciunt, & quidem tanto f
quanto magis madent per se interiora fa
nariumque. Cave itaque credas, pt
&c. *Sinceram cerebri pituitam, densiu*
cum, aut alios crassos humores posse e
Pagina proxima adducit pro sua sen
Excellentissimum D. Rolfincium,
pariter pauca commodato accipiam.
go ille: *Sternutatoria*, &c. *tot hacten*
eantata laudibus, vires suas in spongios
palati, faucium nares & carnes dum sp
easdem mundant, exque venarum & a
rum extremitatibus, pituitosas, mucosa
das, & salivales extrahunt humiditates
que τῷ συμβεβηκὸς *cerebro mundando*
viunt, dum sanguinem dephlegmant, &
cibus & scoriis, antequam ad cerebrum
hatur, liberant. Neutiquam ergo pt
sive ad ventriculos cerebri, sive ad
meninges feruntur. Ut enim iteru
meis adoptem *verba Cl. Schneideri lib*
9. *pag.* 557. Errhina & ptarmica, sive
quæ, sive pulveres ad *Cerebri mem*
per foramina *Ossis Cribriformis* per
non possunt, ut suum habitum adh
vent. Os spongiosum est interjec

quod membranis obductum eſt. Foramina *Oſſis cribriformis* ſunt pelliculis obſtructa, quæ de *Cerebri* velaminibus naſcuntur. Deinde ſive aquati humores ſive pulveres naribus ducuntur, non ſurſum nituntur & ſuperiora Cranii petere contendunt. Sed cum hauſtus aër ad os meet, illa ſimul naribus ducta medicamina etiam ad eum locum iter ſuum affectant. Quare eorum ſapor acer, fervens & aſper ſtatim ſentitur. *Hæc iterum Schneiderus.*

Caput Vigesimum quintum.

Qua cautela Medicamenta πταρμικὰ, ſeu Sternutatoria exhiberi à Medico debeant? Cur illa aliquibus ſternutamenta non provocent? Non poſſunt tuto omnibus exhiberi.

Τὸν ἰητρὸν δοκέει μοι ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. *Medicum uti prudentia, ut mihi videtur, optimum eſt*: Vetus eſt Hippocratis verbum, quod explicat Galenus Comm. 1. in Prognoſt. Hippocr. præf. Atque hujus meminiſſe perpetuo debere Medicum, gnarum quoque erat Senecæ lib. 1. de Ira cap. 16. *Si intraſſem* (inquit) *valetudinarium exercitatus & ſciens, non idem imperaſſem omnibus, per diverſa ægrotantibus,*

 Ut

Ut juxta Hieronymum epist. ad
Imperiti est medici uno collyrio omnium
velle curare; ita & argui meretur Me
qui medicamenta sua intempestive
ægri corpore convenienter præparat
plicat. Peccari hic solet à multis ex l
dine, & tamen quàm periculose.
Septalium lib. 6 Animadvers. §. 61
sione Apoplexiæ hæc offendo : *St*
menta ut maxime ex usu in hoc morbo,
dem valentissima; ita non statim adh
nisi corpus sit inanitum. Et §. 91. eoc
co, ubi agit de Epiphora: *A sternu*
cujuscunque generis omnino abstin
impetu enim propulsa materia à cere
nares, & per eosdem meatus ad ocu
movetur, & ab internis, & meatus ma
riuntur. Similiter Mercurialis de A
Affectibus cap. 4. *De sternutatoriis*
nisi caput exquisite purgatum sit, nunqu
hibenda esse; quia maxime concutiun
res; nam dum emunguntur nares,
aures correspondent : quod si caput
repletum, ex hac concussione trahi
va materia ad aures, & ita malum
Non omnes quoque, quibus Sternu
Medicamenta exhibentur, sternuta
pra movimus Problema, cur assue
pulveres sternutatorios minus fre
sternutamenta cieantur, quàm illi
non assueverunt. Eoque Medicus,

tat hujus ordinis Medicamenta exhibenda esse, inquirere quoque debet, an non æger, cui Medicinam facit, per frequentem usum τῶν πταρμικῶν ea sibi inutilia reddiderit. *Alimenta sanis, ægris Medicamenta dari* jubet egregius Celsus: sed, quando sani Medicamentis, ut alimentis utuntur, ab iis parum aut nihil præsidii consequuntur, etiam quando illis indigent. Eoque, ex admonitione ejusdem lib. 1. cap. 1. *Cavendum ne in secunda valetudine adversa præsidia consumantur.* Alias, ut supra capite vigesimo primo observabamus, sternutatoria, absque successu adhibita, naturam devictam esse indicant, & mortis imminentis indicium certum sunt. Capivaccius lib. 1. Meth. Med, cap. 28. *Sternutamentum* (inquit) *ut signum, est bonum: significat enim virtutem robustam: unde Avicenna ait, morti proximum non posse sternutare, propter virtutis imbecillitatem: ut, si homo è medicamentis sternutatoriis non sternutet, cum Avicenna non sit sperandum de salute.* Quibusdam quoque ob caput imbecillius tuto sternutamenta non adhibentur. Lego quidem apud Nymannũ de Apoplexia cap. 46. pag. 335. sequentia: *Monendum tamen hic, in iis, qui cerebrum justo mollius & valde humidum habent, Ptarmicorum usum non adeo tutum esse, nam ex nimia cerebri commotione aliquando vel nervus vel aliud*

quid in eo rumpi potest; Sic ex sternutati- sis nervis Opticis, quendam visum a- Guilhelm. Fabric. in Observat. Ch- Cent. 1. Observ. 24. *annotavit.* non t ob ea, quæ antea observata sunt, ha- mitti possunt. Concedo membranas subiendentes, & arterias, venas, & in sertas affici posse per sternutamen non æque tamen ipsum Cerebrum. I menta, unde obstructiones potius, rupturæ proveniunt, magnam parten cuntur ex spongiosis carnibus oris & rium, fomitem suppeditantibus arter & venarum extremitatibus, ut ait R cius l. d. eaque per validiorem conc nem sternutationis derivari violente sunt sive ad nervos Opticos, sive ad torios.

CAPUT VIGESIMUM SEXT

Qomodo sternutationes circa Epile- sint considerandæ? Item an & q- do Sternutatoria medicamenta a- ri debeant Epilepticis?

EPilepsia, seu, morbus Hercule Comitialis, cui Celsus lib. 3. cap nomen indidit *Majoris morbi,* (post H

cratem, qui sæpe vocat νόσον μεγάλην) ob symptomatum magnitudinem ac vehementiam, nec non partis affectæ præstantiam; plurima circa se miranda habet, atque curatu est difficillimus: attenduntur autem in illo Sternutamenta, non modo ut Auguria, verum etiam ut remedia, quatenus subsidio Sternutatoriorum Medicamentorum excitata, si non tollendo malo, saltem minuendo servire creduntur. Sternutamentum Epilepsiæ futuram accessionem indicare solet, si nimium & æquo frequentius fuerit. unde inter signa Epilepsiam præcedentia refertur, speciatim à Platero & Untzero. Sed, an cum ratione in Epilepsia adhibeantur πταρμικὰ seu, Sternutatoria, inter ipsos Medicos controversum est? Adhibent illa *Antonius Guainerius in Pract. sua Tract. 7. cap. 5. Felix Platerus part. 1. Prax. lib. 1. cap. 2. pag. 67. Hollerius lib. 1. de Med. Morb. cap. 15. Quercetanus in Tetr. cap. 29. Forestus lib. 10. Obscrv. 58. in Scholiis*, aliique. Inveniuntur, haut pauci quoque, qui aut rejiciant, aut negligant. Ego quidem distinxerim. Etenim Epilepsia, nemine diffitente, cerebri affectio & quidem gravis est, unde Apuleius in Apologia à Græcis *Divinum morbum* nominatum putat, quòd *animi partem rationalem, quæ longe divinissima est, violet.* Certe *Divinus*

morbus non modo vocatur à Græcis,ſp
tim à Platone & Hippocrate,verum et
Suetonio in Caligula cap. 1. ut ut a
gant *diutinus*. Hæc aut gravis & invet
aut levis eſt. Atque illa quidem non
tur ſternutatoriis juvari poſſe, niſi p
cidens. Nam cum (ut antea jam p
Medicamenta Sternutatoria ad cere
pertingere non poſſint; per ſe quoque
poſſunt materiam noxiam incluſam a
rebri ventriculis aut membranis, edu
ex accidenti tamen proſunt. Nam cur
teria excrementitia, inhærens ſpon
carnibus oris & narium, admiſceatu
guini, juxta circulationem ad cere
quoque tendenti, hoc ipſum ab illis la
affici poſſe nullum dubium eſt: utqu
Sternutatoria & Apophlegmatiſmos
ria illa educi ſolet, eatenus ex acc
quoque hæc ipſa prodeſſe poſſe Epil
fatendum eſt. Aliquando levis adm
Epilepſia eſt. Valeſcus de Taranta
Philonii cap. 18. dicit ſe vidiſſe pat
qui non ceciderint, ſed ſola frictione
tis liberati fuerint. Eraſtus quoque p
Diſput. contra Paracelſum, teſtatur
diſſe Epilepticos, qui facili, ac brevi c
cum vix ſenſibili labiorum contra
tentati derepente ſint reſtituti. Sin
quoque eſt exemplum quod habet

nius Benivenius lib. de Abd. Morb. caussis cap. 97. cujus meminit quoque Forestus lib. 10. Observ. cap. 55. in Scholiis, hic autem ipsius Benivenii verbis est proponendum, *quæ ita habent*: Etsi notissimus (*inquit*) inter cæteros Morbos esse soleat, qui Comitialis nominatur, ignotus tamen apud multos plerumque est, ut quem nuper vidimus in puella Aretina: quæ cum hujusmodi invaderetur morbo, minime (ut assolet) concidebat, minimeque ex ejus ore ferebatur spuma. Sed stans caput tantum hinc inde, ac si quid inspicere vellet, tota cum cervice movebat, nihil interim loquens, nihil audiens, nihil sentiens. Cumque iterum ad se reverteretur, interrogata quid egisset, penitus ignorabat. Caussam autem perquirentibus nobis, cur puella, cum Comitiali morbo afficeretur, non concideret, visum est hoc contingere, quod contractio & tensio ad cerebrum non ferretur, cum solus vapor sursum ascenderet. Ex quo, nullo rigore cerebrum ipsum intentum, ab inordinatis motibus reliqua membra præservare poterat. Quòd autem puella ipsa hoc modo laborasset, & medici omnes, quicunque eam viderant, affirmabant, & rei eventus facile comprobavit: cum prorumpentibus menstruis hoc malum evaserit. Nam ut quandoque in pueris Venus, ita in puellis menstruorum initium hujusmodi morbum

tollere solet. *Hæc Benivenius.* In le
modi Epilepsia quin Sternutatio pro
bitare non licet: quæ non inconve
quoque per Sternutatoria provoca
declinatione paroxysmi quatenus
tando contingit illa discuti, quæ e
denti aliàs Epilepsiam (ut jam antea
sum fuit) procurare solent. Verbum
teri: *Sternutatio ut casum Epilepticum*
dum præcedit, ita non nunquam eunden

CAPUT VIGESIMUM SEPTI

Sternutatoria medicamenta an &
nus Apoplecticis adhiberi debeant

APoplexia, quæ juxta Tertullian
de Anima cap. 10. *mentem p*
gravis admodum morbus est. Atqu
ra & in gradu intensiori gravis
ægri ex admonitione Hippocratis
dico, in Prognostico sunt relinquen
tutum est ad alia remediorum gener
dere Theodorus Priscianus Log.
pag. 76. *De his* (inquit) *Apoplecticis*,
crates, nostræ hujus professionis aucto
sua sententia judicavit: Apoplecticos,
gravi ictu percussos nullo pacto peni
rari posse: leviores attamen, licet di
liberari. *Huic ego etiam obediens, hos*
deo visitari, ut eos, quos sine sensu per

spexero jacentes & nimium frigidos, plena eos desperatione pronuntiem. Nam ut verè Celsus dicit: *Prudentis est hominis eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius peremit.* Debili Apoplexiæ ut manum admovere solent Medici; ita inter alia remedia Sternutatoria adhibere. Quæ quando, & quomodo præscribi debeant, paucis verbis præ aliis docuit Nymannus lib. de Apoplexia cap. 39. *Postquam per venæ sectionem* (inquit) *sanguinis copia detracta, & adhibitis clysteribus corpus probe purgatum fuit, ad particulares capitis evacuationes, maxime eas, quæ per* Errhina & Ptarmica *fiunt, confugere licet: estque imprimis laborandum, an forte Sternutatoriis cerebrum irritari possit, ut, si non sensu animali,* &c. *tamen naturali ad expulsionem assurgat, caussamque morbificam expellat. Haberturque pro bono signo, si post eorum usum æger sternutet.* Sed, ut ex accidenti Apoplectico Ptarmica medicamènta prodesse possunt; sic neutiquam per se submovendæ caussæ, à qua provenit, sufficiunt. Ingruere enim Apoplexia solet, quando cerebri arteriæ æquo tumidiores sanguinem emittunt. Verum, ut jam antea patuit, Medicamenta Sternutatoria neutiquam ad Cerebrum penetrant, tantum abest, ut sufficiant dissolutioni sanguinis, ex arteriis proflui & concreti. Eoque liquet, quo loco haberi debeant

beant sequentia Mercurialis verba lib.
Affect. capitis, cap. 19. occasione
plexiæ prolata: *Ubi attractio* (inquit
juvat, deveniendum est ad impulsionem
est, ad pellendam materiam è cavernis c
Sternutatoria in hoc genere ponuntur; qu
tu illo & concussu humores auferunt
rebro.

CAPUT VIGESIMUM OCTAV

Sternutatio quomodo & vertiginem
curet, & minuat. Et quâ ratione
nutatoria sæpe visui obsint.

Vertigo, quæ à Græcis vocatur, σκο
Apoplexiam subinde præcedere
atque, ut gnarum quoque Hippocrat
Sect. 3. Aphor. 31. affectus est se
quam familiaris. Videtur autem esse S
toma in vitiata imaginatione cum læ
visus & motus totius corporis, propte
ordinatum spirituum animalium in
rioribus cerebri ventriculis & nervis
riis motum. Namque vaporum &
tuum στροφὴ facit, ut omnia videa
converti, quod accidit vel propter ca
internam vel externam: atque, si origi
trahat à morbo *vertigo morbosa* dicitu
autem cum lapsu aut cum periculo la
obveniat, vulgo *vertigo caduca* nom

tur. Hanc, si credimus Hier. Mercuriali lib. 1. de Affect. capitis, cap. 11. sæpe sternutamenta provocarunt. Nam cum in hoc affectu visui læsio obveniat, quatenus per vapores circumactos & nervis opticis inexistentes, spiritus non minus visorii, quam etiam objecta, quorum simulacra vehunt, agitari videntur; æque facile est, per sternutamenta frequentiora vaporem vago motu præditum nervis opticis impingi, atque per sternutationes, ut supra vidimus, cæcitatem procurari. Et tamen pro curanda vertigine Sternutatoria quoque Mercurialis præscribere solet. Plateri dissimile ex parte præceptum est, ubi agit de Vertiginis curatione: *Per os & nares* (inquit) *tanquam viam pituitæ expurgandæ destinatam, eam à cerebro, postquam corpus purgatum fuerit, derivare oportet: quæ expurgatio eo convenientior erit, quòd statim ab ipsa sede affecta, ad quam via hæc rectà pertingit, cerebri excrementa, illic collecta, expurgat. Fitque hoc caput purgiis, seu apophlegmatismis dictis, in forma errhini, masticatorii, aut gargarismatis: mane dum jejuni sunt, usurpatis.* Prudentior scil. Platerus est, quàm ut præscribat Sternutatoria, ne scilicet per validiorem illam agitationem, vapor spirituosus, qui discuti deberet, profundius nervis opticis impingatur. Observatu digna sunt, quæ habet Cl. Plempius lib. 5. Ophthalmogr.

cap. 11. sive ultimo, quo, agens de affectibus nervorum Opticorum, postremo *hæc subjicit* : Dubitant (*inquit*) scriptores, an usurpanda sint in his affectibus sternutatoria. Capovaccius celebris & felix Patavii suo tempore Practicus in initio obstructionis horum nervorum sternutamentum vehemens excitari consulebat, ut videlicet materia commoveatur angustans, nec figatur: quia actum est, inquiebat, ubi figitur. Quæ agendi ratio etsi non omnino sit à Methodo aversa, fortunæ tamen etiam innititur, adeoque periculo subjecta est: tam enim potest per sternutationem istam materia magis figi in nervis, quàm è nervis elidi; potest quoque alia, quæ præsto est in cerebro (*hæc simpliciter non esse admittenda, patet ex præcedentibus*) materia, ad eosdem nervos detrudi: qua ex caussa multi ex pluribus (præsertim de industria sibi concitatis) sternutationibus in cæcitatem derepente lapsi sunt. (*Supra adducta fuerunt exempla*) Malim igitur ego sine periculo masticatoriis materiam derivare per palatum, à quo non longe abesse Opticorum originem ostendit nobis dissectio. *Huc usque Plempius*.

CAPUT

Caput Vigesimum Nonum.

Sternutatoria an in Catarrho debeant adhiberi? An speciatim in Coryza?

Catarrhus, quem Celsus lib. 4. cap. 2. & sæpius Plinius (speciatim lib. xx: 6, 20. xxii: 20,25. xxiii: 8. xxiv: 7,12. xxx: 4. xxx: 6.) *defluxionem* vocant, vulgo creditur generationis sedem in cerebro habere; sed cum ratione à communi sententia recedunt viri Clarissimi D. Rolfincius & D. Schneiderus sæpius à nobis nominati. Atq; hujus quidem quæ sententia sit, (hactenus illi accedimus) exponit lib. 4. cap. 2. pag. 50. & seq. ubi offendere est sequentia: *Proclamamus* &c, Catarrhorum, seu fluxionum materiam haud esse *Cerebri purgamentum*, sed excrementum totius massæ sanguineæ, ac simul pronuntiamus, hoc fluxionum genus &c. esse *Symptoma excretorum*, non *in cerebro*, sed *in massa sanguinea*, &c. Tunicæ *narium*, *oris*, *gulæ*, *laryngis*, *membrana pituitaria*, *glandulæ maxillares & tonsillæ*, paululum humoris mucosi, & aquosi instar sudoris naturaliter emittunt, si verò ille humor sit viscidior sive tenuior, vel *qualitate*, ut hic loquuntur Medici, vel *quantitate* sit vitiosus, illa excretio humorum non est amplius naturalis, sed, ut vocant, *præternaturalis ac Sympto-*

Symptomatica. postea hoc colligi potest ex iis, quæ occurrunt pag. 51. humorem hunc ipsum ita peccantem nomen Catarrhi ferre posse, *si stillet vel de naribus & ore, vel de membrana posteriori pituitaria cadat.* Cum sufficiat dixisse, (pag. 52. *Catarrhum esse nihil aliud,* quàm *Symptoma exeretorum è massa sanguinea.* Quo jacto fundamento, Catarrho Sternutatoria ἀκμίρως succurrere videri possent. Nisi verum esset quod idem Schneiderus rectè observat ibid. pag. 549. *Tenuis* (inquit) *humor illis remediis elicitur, crassiore relicto; quare ille graviorem efficiet obstructionem vasorum. Siquidem* Apophlegmatismata & Masticatoria, &c. *nunquam alium, quàm aquatiorem humorem proritant. Minime verò eum Cerebro devocant, sed sumunt de massa sanguinea, cujus vascula etiam ad os & nares trahuntur.* Sed, an non in Coryza quoque Ptarmica convenienter adhiberi queant, quæritur? κόρυζα à Latinis *Gravedo* dicta est, atque est humor è capite destillans in nares: unde describitur ab Hippocrate lib. de Vet. Med. ῥεῦμα κινηθὲν διὰ τῶν ῥινέων, καὶ τοῦτο ὡς πολὺ δριμύτερον, οἱ δ' ἐν ποιεῖ τὴν ῥῖνα: quibuscunque enim accidit, acredine sua est molesta, &, si diutius perseverat, non tam attolit in tumorem nasum, quàm exulcerat. Quum Catarrhus gradus habeat, quos Celsus respicit lib. 4. cap. 2. infimum duntaxat gravedo obtinet

De-

Destillat (inquit) *humor ex capite interdum in nares, quod lene est; interdum in fauces, quod pejus est; interdum etiam in pulmonem, quod pessimum est. Si in nares destillat, tenuis per has pituita profluit, caput leviter dolet; gravitas ejus sentitur.* Nec tamen gravedinosis convenienter Ptarmica adhibentur. Nam, *ut loquitur Cl. Schneiderus l. d. p.* 564. Urgente (*inquit*) Coryza, membranæ interiorum narium quasi inflammatæ tument, ut aëris, meatus aliquo modo angustior, & difficilior quoque fiat respiratio. Si pulvis *ptarmicus* ore tum trahitur, dolor movetur, & tandem defluit phlegma, in quo vestigia sæpe sanguinis notantur. In vasculis & tunicis narium ita tumentibus fit coctio, hoc est, boni malique humoris secretio. Principio cujusdam profluvii solet tenuior humor erumpere, dein crassior subsequitur, tandem fluxionem finit iterum magis serosus. Cum igitur tunicæ narium hoc modo tam graviter sint afflictæ, nec *apophlegmatismata* nec *ptarmica* probantur. Cum pars affecta iis utrisque magis magisque irritetur. *Huc usque D. Schneiderus.*

Caput Trigesimum.

Rabbinorum inepta deliramenta de Sternutamento, quod multis seculis non tam prænuntiarit hominum mortem, quam concomitatum fuerit.

Ster-

STernutationem hactenus juxta suas caussas & effectus Physice consideravimus, divertendo quoque ad Medicinam, pace, ut spero, Medicorum. Reliquum est, ut eam juxta opinionem hominum superstiosorum examinemus. Jam olim siquidem Judæi, & veteres Gentiles qua Græci qua Romani, Sternutamentum ominosum esse putarunt. Atque, ut ab illis incipiamus, ridicula sunt somnia, quæ Rabbini de Sternutamento jactant. Proponit illa Buxtorfius in Lexico Rabbinico in עטש. ubi ex Chaskuni fol. 68. hanc fabellam *refert*: Ab eo die, quo creata sunt cœlum [& terra, nunquam homo qui sternutavit convaluit à morbo suo: sed in quocunque loco fuit, in itinere, aut in foro, si sternutavit, exivit anima ejus: donec venit Jacob, & petiit misericordiam à Deo hujus rei caussa: dixit coram Deo benedicto, Domine mundi, ne auferas animam meam à me, donec præceperim domui meæ, filiisque & nepotibus meis. Et exoratus est ei Deus, sicut dicitur, *Et fuit post verba ista*, &c. Genes. 48. 1. Audientes hoc omnes reges terræ contremuerunt & commoti sunt, eô quòd nunquam ita fuerit à creatione mundi, &c. Hæc vero desumpta esse ex Capitulis R. Eliesaris observat idem Buxtorfius. In quibus cum paulo aliter hoc referatur, non pigebit illius verba exhibere. Ita verò loquitur

tur cap. 52. *ex versione Guilielmi Vorstii*: Quartum miraculum. Quod à die, quo creata fuerunt cælum & terra, nullus homo fuerit ægrotus; sed cum in viâ vel platea sternutabat, anima ejus egrediebatur è naribus ejus, donec venit pater noster Jacob, atque rogavit de hoc Misericordem, dixitque coram illo: *Domine omnium orbium, ne sumas à me animam meam, donec mandata dedero filiis meis & filiis domus meæ.* Atque exoratus est ab illo. hinc dicitur: *Et factum est post hæc, ut dicerent Iosepho, En pater tuus ægrotat.* Audiverunt hæc omnes reges terræ, atque obstupuerunt, quia non simile quid evenerat à die, quo condita erant cælum & terra. *Hactenus* ineptiens Rabbinus, qui hoc tamen velut admirandi quid refert, atque recenset *inter res miraculosas creatas in mundo*, prout profitetur in limine Capitis. Somnium verò est ridiculum, atque magis ineptum, quàm occurrit aut Luciani gallo, aut vidit delirans & febricitans anus.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Gentiles observare solent sternutamenta, quorum quædam fausta, alia infausta erant. Superstitiosus hic erat Socrates. Sternutamenta à dextra auspicata habebantur: Amantes sternutamenta ob-

STernutationem hactenus juxta suas caussas & effectus Physice consideravimus, divertendo quoque ad Medicinam, pace, ut spero, Medicorum. Reliquum est, ut eam juxta opinionem hominum superstitiosorum examinemus. Jam olim siquidem Judæi, & veteres Gentiles qua Græci qua Romani, Sternutamentum ominosum esse putarunt. Atque, ut ab illis incipiamus, ridicula sunt somnia, quæ Rabbini de Sternutamento jactant. Proponit illa Buxtorfius in Lexico Rabbinico in עטש. ubi ex Chaskuni fol. 68. hanc fabellam *refert*: Ab eo die, quo creata sunt cœlum [& terra, nunquam homo qui sternutavit convaluit à morbo suo: sed in quocunque loco fuit, in itinere, aut in foro, si sternutavit, exivit anima ejus: donec venit Jacob, & petiit misericordiam à Deo hujus rei caussa: dixit coram Deo benedicto, Domine mundi, ne auferas animam meam à me, donec præceperim domui meæ, filiisque & nepotibus meis. Et exoratus est ei Deus, sicut dicitur, *Et fuit post verba ista*, &c. Genes. 48. 1. Audientes hoc omnes reges terræ contremuerunt & commoti sunt, eò quòd nunquam ita fuerit à creatione mundi, &c. Hæc vero desumpta esse ex Capitulis R. Eliesaris observat idem Buxtorfius. In quibus cum paulo aliter hoc referatur, non pigebit illius verba exhibere. Ita verò loquitur

tur cap. 52. *ex versione Guilielmi Vorstii*: Quartum miraculum. Quod à die, quo creata fuerunt cælum & terra, nullus homo fuerit ægrotus; sed cum in viâ vel platea sternutabat, anima ejus egrediebatur e naribus ejus, donec venit pater noster Jacob, atque rogavit de hoc Misericordem, dixitque coram illo: *Domine omnium orbium, ne sumas à me animam meam, donec mandata dedero filiis meis & filiis domus meæ.* Atque exoratus est ab illo. hinc dicitur: *Et factum est post hæc, ut dicerent Iosepho, En pater tuus ægrotat.* Audiverunt hæc omnes reges terræ, atque obstupuerunt, quia non simile quid evenerat à die, quo condita erant cælum & terra. *Hactenus* ineptiens Rabbinus, qui hoc tamen velut admirandi quid refert, atque recenset *inter res miraculosas creatas in mundo*, prout profitetur in limine Capitis. Somnium verò est ridiculum, atque magis ineptum, quàm occurrit aut Luciani gallo, aut vidit delirans & febricitans anus.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Gentiles observare solent sternutamenta, quorum quædam fausta, alia infausta erant. Superstitiosus hic erat Socrates. Sternutamenta à dextra auspicata habebantur: Amantes sternutamenta ob-

servabant, & prosperi quid exinde augurabantur.

GEntiles quoque, dubium an exemplo Judæorum, Sternutamenta observare solent. Plin. lib. 2. cap. 7. *Ecce fulgurum monitus, oraculorum præscita, Aruspicum prædicta, atque etiam parva dictu, in auguriis sternutamenta, & offensiones pedum.* Erant vero duplicia, quædam fausta, quædam infausta. Sic annotat Theocriti Scholiastes ad Idyll. 7. πταρμῶν μὲν εἶναι ὠφελίμους, τοὺς δὲ βλαβερούς. Inde Aristoteles lib. 1. Hist. Anim. cap. 11. appellat σημεῖον οἰωνιστικὸν, καὶ ἱερὸν μόνον τῶν πνευμάτων. *Signum augurale, & unum ex spirituum generibus sanctum & sacrum.* Et Sect. 33. Probl. qu. 9. agens de Sternutamento, inter alia dicit, προσκυνοῦσιν ὡς ἱερὸν, *ut sacrum adorant.* Præ aliis, si credimus Plutarcho de Genio Socratis, magnus hic Philosophus circa Sternutamenta superstitiosus fuerit, testatur siquidem ibidem *Terpsion Megaricus*, Genium Socratis fuisse sternutationem tum ipsius tum aliorum. Alio quidem sternutante à dextra, sive ante, sive post ipsum, solitum se fuisse ad agendum conferre: sin à sinistra fieret, cessasse. De sternutationibus ipsius, quæ fierent acturo aliquid, confirmasse ejus propositum: quæ inter agendum, inhibuisse. *Addit ibidem Galaxiodorus sequentia* : Ut in

medi-

medicina pulſus aut puſtula, parvæ res, non parvæ rei ſigna ſunt, & gubernatori ſonitus maritimæ avis, aut diſcurſus raræ nubeculæ ventum præmonſtrant, & maris aſperiorem agitationem : ſic animæ divinatrici ſternutatio, aut omen, res per ſe non magna, ſignum tamen eſt *notabilioris accidentis*. Gnarum hoc fuit ipſi Homero, ſiquidem ad votum Penelopes de Ulyſſis adventu ad ulciſcendos procos, Telemachus dicitur ſternuiſſe, quod poſtea Penelope pro fauſto omine interpretata eſt. Verſus occurrunt Odyſſ. lib. 17.

Ὣς φάτο· Τηλέμαχος δὲ μέγ᾽ ἔπταρεν. ἀμφὶ δὲ δῶμα
Σμερδαλέον κονάβησε, γέλασσε δὲ Πηνελόπεια.

Poſtea ſubjecit ipſa Penelope :

Οὐχ ὁράας ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσιν.

quem verſum ſæpius Origenes & Clemens Alexandrinus adducunt. Ad quem quoque ita inter alia Euſtathius: ὄρνις γὰρ πότε ἦν τοῖς παλαιοῖς, καὶ ὁ πταρμὸς ἐπεὶ καὶ ἡ κεφαλὴ τιμία ἐξ ἧς τὸ τοιοῦτον σύμβολον. *Augurium olim erat* (hoc ſæpe notat vox ὄρνις) *veteribus etiam ſternutatio : quoniam caput, ex quo ejuſmodi omen procedit, venerandum eſt*. Auſpicata vero & proſpera cenſebantur ſternutamenta, quæ à dextra accidebant. Exemplum habet

habet Plutarchus in Themiſtocle, ubi ita per Interpretem: Themiſtocle (inquit) *ad aras ſacrificante, bonum omen ſternutamento à dextra parte eſt datum : unde Græcis ſalutem promittit & palmam vates*, Euphrantides ſcilicet. Candidum & proſperum quoque habitum fuit ſternutamen, quod Xenophonti duci deſignato obvenit, & cujus ipſe meminit lib. 3. Ἀναβάσεως. ubi cum Xenophon dixiſſet multa eſſe, quæ pulcherrimam ſalutis ſpem promitterent, accidit, hæc eo dicente, aliquem in exercitu ſternutare. Ἀκούσαντες δὲ, addit οἱ στρατιῶται πάντες μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν θεόν. *Id cum audiviſſent univerſi milites, uno impetu Deum adorarunt*. Idque omen accipiens Xenophon, ſubjicit. Δοκεῖ μοι, ὦ ἄνδρες, ἐπεὶ περὶ σωτηρίας ὑμῶν λεγόντων, οἰωνὸς τοῦ σωτῆρος ἐφάνη, εὔξασθαι τῷ Θεῷ τούτῳ θύσειν σωτήρια. *Quando*, Milites, *nobis de ſalute loquentibus Servatoris Iovis augurium oblatum eſt, equidem arbitror huic Deo votum nuncupandum eſſe*. Sternutamentum victoriam quoque promittere cenſebatur. Nonnus præſtanti ingenio Poëta lib. 13. Dionyſ. verſ. 81.

——— ἐπὶ νίκῃ

Πατροπάτωρ δαφναῖος ἐπέπταρε μάντις Ἀπόλλων.

in-

——*in victoriam*

Avus paternus laureus sternutabat vates
Apollo.

Præterea habebatur Prognosticon ab insidiarum discriminibus. Theocr. Idyll. 18.

Ὄλβιε γάμβρ' ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
Ἐς Σπάρταν, ὅποι ὤλλοι ἀριστέες, ὡς ἀνύσαιο.

Fortunate sponse, bonus tibi quispiam adsternutavit proficiscenti
Ad Spartam, ubi & alii Principes erant, ut hoc perficeres.

Amantibus præ cæteris sternutamentum prosperum omen præbebat. Aristænetus lib. 2. ep: 5. ἡδέως μάλα ἔπταρον μεταξὺ γράφουσα, ἆρα ὁ νέος τοῦ μοι μελήματος διαμνημονεύει ἐμοῦ. *Sed ecce hæc dum scribo, jucunde sternutavi, num forte invenis mea cura meminit mei?* Respondet illud Ovidii ex Epistola Herus ad Leandrum:

Interea, lumen, posito nam scribimus illo,
Sternuit, & nobis prospera signa dedit.

Similiter Propertius lib. 2. eleg. 3.

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omen Amor?

Nec admodum abludit illud Catulli epig. 41.

Hoc ut dixit Amor sinistra, ut ante,
Dextram sternuit ad probationem.

Pro quo sic legit ὁ πάνυ Josephus Scaliger:

Hoc

Hoc ut dixit Amor ſiniſter in ante,
Dextram ſternuit ad probationem.

In ante verò fuerit ἔμπροσθεν. Utut ſit, hinc patet verùm eſſe illud, quod antea diximus. Nempe auſpicatas fuiſſe ſternutationes à dextra.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Alia ſternutamenta improſpera erant. Celebratum Hippiæ Piſiſtrati filii Sternutamentum. Ominoſum erat ſternuiſſe in funere, menſa aut itinere. Quædam quoque amantium ſternutamina improſpera erant.

UT candida quædam ſternutamenta cenſebantur; ita alia infauſta. Notatu dignum exemplum habet Herodotus lib. 6. ubi ita per interpretem de Hippia Piſiſtrati filio Athenarum Tyranni *loquitur*: Itaque tunc (*inquit*) dux exiſtens, cum mancipia, Eretria dicta, in Styreenſium inſula deponeret, Ægilea appellata; item naves, quæ apulerant Marathonem, in ſtatione collocaret: Barbaroſque in terram egreſſos, ordinaret; ei hæc adminiſtranti accidit, καὶ οἱ ταῦτα διέποντι ἐπῆλθε πταρεῖν τε καὶ βῆξαι, μεζόνως ὡς ἐώθεε· οἷα δὲ πρεσβυτέρῳ

τέρῳ ἐόντι, τῶν ὀδόντων οἱ πλεῦνες ἐσείοντο· τουτέων ὦν ἕνα τῶν ὀδόντων ἐκβάλλει, ἀπὸ βίης βήξας· ἐκπεσόντος δὲ ἐς τὴν ψάμμον αὐτοῦ, ἐποιέετο πολλὴν σπουδὴν ἐξευρεῖν. ὡς δὲ οὐκ ἐφαίνετό οἱ ὁ ὀδοὺς, ἀναστενάξας, εἶπε πρὸς τοὺς παρεστεῶτας· ἡ γῆ ἥδε οὐκ ἡμετέρη ἐστι, οὐδέ μιν δυνησόμεθα ὑποχειρίην ποιήσασθαι. ὁκόσον δέ τι μοι μέρος μετῆν, ὁ ὀδοὺς μετέχει, ut sternutaret, tussiretque, quam solebat, vehementius. cumque, ætate grandiori, dentes plurimi concuterentur, unus ex his violenta tussi excussus est. qui prolapsus in arenam, cum, quæsitus summo studio, reperiri minime posset, cum suspirio ad astantes versus, dixit; Terra ista non est nostra, nec in potestatem etiam hanc redigere poterimus; nam, quæ ad me portio ejus pertinebat, dens nunc habet. *Huc usque Herodotus.* Eandem rem commemorat Eusthatius ad d. lib. 17. Odyss. ἱππίας, ὁ Πεισιστράτου, ἔπταρε, καὶ ἔβηξε, μεῖζον τοῦ συνήθους· καὶ, ὡς πρεσβύτῃ, σεισθέντων τῶν ὀδόντων, εἷς ἔπεσε. *Hippias, filius Pisistrati, sternutavit ac tussiit vehementius solito, atque, cum senex esset, dentes sunt concussi, unus vero excidit.* Suidas; Ἰὼν μὲν οὖν Ἱππίας ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα σὺν τοῖς Πέρσαις, καὶ ἐκπλήττων τοὺς Βαρ-

ϐάρες, μέγα ἔπ[?]αρε καὶ, ἅτε γέρων ἤδη, εἶχε τοὺς ὀδόντας κραδαινομένους· ἐκ τοίνυν τῆς βιαίας κινήσεως τοῦ πταρμοῦ εἷς ὀδοὺς ἐξεκρούσθη, καὶ καλώλισθεν εἰς τὴν ψάμμον, καὶ εὑρεθῆναι ἀδύνατος ἦν. *Hippias igitur, contra patriam suam cum Persis profectus, & Barbaros percellens vehementer sternutavit; cumque, ut senex, dentes vacillantes haberet, violento sternutationis motu excussus unus est; deciditque in arenam, neque reperiri potuit.* Ominosum verò præ cæteris erat in funere sternutasse, ejusmodi enim sternutamentum aut sternuenti præsentaneam mortem portendere credebatur; aut alicui ex propinquis. Huc facit eximium Macedonii Epigramma, quod lib. 1. Anthol. occurrit.

Ἔπταρον ἄγχι τάφοιο, καὶ ἤθελον αὐτὸς ἀκοῦσαι

Οἷάπερ ὠϊσάμην μοῖραν ἐμῆς ἀλόχου.

Ἔπταρον εἰς ἀνέμους, ἄλοχον δέ μοι οὐ τι κιχάνει

Λυγρὸν ἐν ἀνθρώποις, οὐ νόσος, οὐ θάνατος.

Testatur siquidem aliquis de se, quod ad sepulchrum sternutando omen captarit de uxoris suæ fato: sed deceptum fuisse, quod uxori nullum periculum sive à morte, sive à morbo immineret. Ominosum quoque & inauspicatum erat in Convivio sternutasse. Plin. lib. 28. cap. 2. *Fuitque animadversum inter*

inter epulas medio accubitu sternutamento revocari ferculum: si non postea gustetur aliquid inter dira, & certissimo exitio haberi. Neque prosperum quoque semper fuit amantibus sternuisse. Theocr. Idyll. 7.

Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον· ἦ γὰρ ὁ δειλὸς.

τόσσον ἐρῇ Μυρτοῦς ὅσον εἴαρος αἶγες, ἔραντι.

Ad quem locum, ut antea quoque notavimus, non modo Scholiastes annotat, sternutamenta modo bonum, modo malum augurium præbuisse: sed speciatim observat, τὸν δὲ πταρμὸν, ἐπὶ τῇ χείρονι μοίρᾳ. Hoc scil. Amatoris sternutamentum inauspicatum fuisse. Qui iter quoque faciebant, inauspicatum putabant, si sternuissent. Plin. lib. 29. cap. 2. *Cur sternutamentis consalutamur? Quod etiam* Tiberium Cæsarem, *tristissimum, ut constat, hominum, in vehiculo exegisse tradunt.* Non exacturus dubio procul, nisi persuasum habuisset, malum omen salute dicta averti posse.

Caput Trigesimum Tertium.

Sternutamentum ut Numen aliquod venerati sunt Gentiles: quod speciatim sacrum erat Cereri. Et tamen quidam contempserunt.

NEc hoc quoque prætereundum est, Gentiles Sternutamentum velut Deum aliquem veneratos fuiſſe. Supra obſervabamus, quòd Xenophon illud vocaverit οἰωνὸν τοῦ Διὸς τοῦ σωτῆρος. *Servatoris Iovis augurium.* Quin & ſolebant. τοὺς πταρμοὺς προσκυνεῖν ὡς ἱεροὺς, *adorare ſternutamenta velut rem ſacram*, ut me monuit Athenæus lib. 2. Dipnoſ. Scriptoris verba obſervatu digna. Οἱ δ' ἱερὸν ἐνόμιζον τὴν κεφαλὴν, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ κατ' αὐτῆς ὀμνύειν. καὶ τοὺς γινομένους ἀπ' αὐτῆς πταρμοὺς προσκυνεῖν ὡς ἱερούς. *Quod autem ſacrum olim caput exiſtimaverint, indicio eſt jurandi per ipſum conſuetudo, & ſternutamenta, quæ ex ipſo prodeunt, adorandi, veluti ſacra.* Ariſtotelem idem monuiſſe, jam antea patuit. Ut nemo miretur, eundem, lib. 1. Hiſt. Anim. cap. 11. Sternutamentum, σημεῖον ἱερὸν, *ſacrum ſignum* nominaſſe. Speciatim Sternutatio τῇ Δήμητρι, ſive, Cereri ſacrata erat.. Teſtis Heſychius, Lexicographorum Græcorum doctiſſimus. ξυμβόλους, τοὺς διὰ τῶν πταρμῶν οἰωνισμοὺς ἔλεγον. ἀνετίθεντο δὲ οὗτοι Δήμητρι. τινὲς δὲ τὰς διὰ τῆς φήμης γινομένας μαντείας, ὡς Φιλόχορός φησι Δήμητρα εὑρεῖν. Et tamen quidam Sternutamenta, ut vana, neglexerunt ac nullo loco habuerunt, patet ex Cicerone lib. 2. de Divinat.

Qua

Quæ si observamus, & pedis offensio nobis, & corrigiæ abruptio, & sternutamenta erunt observanda. Singulare exemplum occurrit in Timotheo Atheniensium Duce. De quo ita Polyænus lib. 3. Stratag. Τιμόθεος ἀνήγετο τῷ στόλῳ παντί· πταρμὸς ἐγένετο· ὁ κυβερνήτης ἐπισχεῖν ἐκέλευσεν. οἱ ναῦται τῶν τριηρῶν ἐπιβαίνειν οὐκ ἐθάῤῥουν. Τιμόθεος μειδιάσας, ποῖον γὰρ ἔφη γέγονεν οἰώνισμα, εἰ τοσούτων παρεστηκότων εἷς ἔπταρεν; οἱ ναῦται γελάσαντες ἀνήχθησαν. *Timotheus solvebat cum universa classe. Facta sternutatione gubernator quiescere jussit. Nautæ triremes conscendere non audebant. Qualenam enim, inquit, auspicium contigit, si tot circumstantibus unus sternutavit? Nautæ hunc ejus sermonem cum risu excipientes, solvebant.* Idem exemplum Frontinus habet l. 1. Stratag. c. 12. Exemp. 11. Timotheus Atheniensis, inquit, *classe dimicaturus adversus Corcyræos, Gubernatori suo, qui proficiscenti jam classi signum receptus cœperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat; Miraris, inquit, ex tot millibus unum perfrixisse?*

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

Unde promanarit ritus salutandi sternutantes? Quid de hoc ritu Polydorus Virgilius, & alii recentiores scriptores existiment.

SI quis sternutaverit, eum adhuc hodie, nos, qui non modo Christiani sumus, sed & Reformati haberi volumus, salutare solemus. Quod receptum quoque esse apud Æthiopas Christianos, vulgo Abassinos dictos Famianus Strada è Nicolao Godigno Jesuita in vita Silverii lib. 2. cap. 11. loco jam antea adducto, docet. Quod historia sit rarior, operæ pretium fuerit, eandem *proponere*. Nihil illustrius, (*inquit*) quàm quod ferunt de MONOMOTAPÆO Imperatore apud Æthiopas, à quibus more gentis Princeps adoratur: hic cum sternuit, qui adsunt, extemplo venerabundi concepta verba, quibus bene prospereque precari consuevimus, tanto clamore proferunt, ut facile, qui agunt in aula proximisque cubiculis exaudiant, ac faustas consalutationes elata & ipsi manu congeminent: quibus auditis, sequuntur illico in eundem modum, qui versantur in foro, ac domibus adjacentibus. quò fit, ut aliis ea ratione alios invitantibus, & precationum verba præeuntibus ingenti acclamantium veneratione, tota simul urbe sternutamentum Principis celebretur. *Hactenus Strada.* Sepositis Æthiopibus, quo tempore in Europa inter Christianos mos hic receptus fuerit, inter viros eruditos controvertitur. Polydorus Virgilius scriptor diligens & curiosus

ſus, nec per omnia contemnendus lib. 6. de Invent. Rer. cap. 33. hanc narrat Hiſtoriam· *Tempore* (inquit) Gregorii Papæ *quoddam peſtis genus ingruit, ut cum quis ſternuiſſet aliquoties, continuo occumberet: unde mos, ſicut quidam tradunt, crevit, ut ſternutantibus diceretur*: Te Deus adjuvet, *vel ſoſpitet, quod hodie ſervatur. Item & oſcitare ſimul lethale fuit, propter quod ſe crucis ſigno repente communire conſueverunt.* Eadem offendas apud virum ſummum, & Hiſtoricum judicioſum, Carolum Sigonium, qui occaſione temporum Gregorii Magni lib. 1. Hiſt. de Reg. Italiæ *ſic loquitur*: In dies magis peſtilentia ſæviebat, ad cæteros autem caſus, quibus homines fæde paſſim obſtruebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quod multi cum ſternutarent, alii, cum oſcitarent, repente ſpiritum emittebant, quod cum ſæpius evenit, conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſervatur, ut ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum Crucis ori admovendo, præſidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius, ad cætera cæleſtis iræ piacula, poſtero anno religioſam in die reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, atque ſolemni pompa ſanctam Dei Genitricis imaginem extulit. *Huc uſque Sigonius.* Similia habet Siffridus Presbyter Miſnenſis, in Epitome Hiſtoriarum, procurata à Fabricio, hæc enim

enim offendas *ad Annum Dom.* DLXXXI. Romæ (*inquit*) pestis inguinaria fuit. Fuit autem pestis inguinaria, apostema sive inflatura in inguine, tam sæva, ut homines in via, in mensa, in ludis, in colloquiis subito morerentur. Itaque cum quis sternutabat, sæpe cum ipsa sternutatione spiritum exhalabat. Unde cùm aliquem sternutantem quis audiebat, statim accurrens, *Deus te adjuvet*, acclamabat. Et abinde adhuc consuetudo servatur, ut cum aliquem sternutantem audimus, *Deus te adjuvet*, acclamemus. Rursus cum aliquis *Oscitabat* frequenter & continuo, & subito, spiritum exhalabat; unde cum aliquis se velle oscitare sentiebat, continuo signum crucis sibi imprimere festinabat, & hæc consuetudo usque nunc servatur. *Huc usque etiam Sifridus.*

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

Consuetudinem Sternutantes salutandi apud Ethnicos quoque receptam fuisse probatur. Illi & genu flectebant. Judæi quoque salutem jam olim sternuentibus precabantur.

VErum, licet ita videatur quoque Sigonio, rituum Romanorum consultissimo,

mo, altius tamen accersenda est hæc consuetudo. quæ non modo apud Romanos, sed Græcos quoque recepta fuit. Atque, ut à Græcis incipiam, apud eos, quoties aliquis sternutaret, usitata erat hæc formula, Ζεῦ σῶσον. facit huc lepidissimum Epigramma Ammiani, in Anthologia occurrens, quod olim in Proclum quendam insigniter nasutum scriptum fuit:

Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν,
τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
Οὐδὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ· οὐ γὰρ ἀκούει
τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Quod sic Latinum faciebat Henricus Stephanus:

Haut manibus Proclus potis est emungere nasum,
Nam Proclinasus longior est manibus.
Invocat hautque Iovem, cum sternuit, auribus istum.
Tam procul à naso non capit ille sonum.

Latini sternuentes salutabant, aut, quod eodem redit, salutem iis imprecabantur. Petron. in Satyrico; *Dum hæc ego* (inquit) *jam credenti persuadeo, Gyton collectione spiri-*

 tus

tus plenus continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem modum Eumolpus conversus, salvere Gytona jubet. Plin. lib. 29. cap. 2. *Cur sternutamentis consalutamur? Quod etiam* Tiberium Cæsarem, *tristissimum ut constat hominum in vehiculo exegisse tradunt. Et aliqui nomine quoque consalutare religiosius putant.* Similiter *Apulejus lib.* 9. *Asin. aur.* Crebras (*dicit*) ei sternutationes commovebat: postea, quod cum putaret ab ea profectum, solito sermone salutem ei fuerat imprecatus, & iterato rursum, & frequentato sæpius. *Hactenus Apulejus.* Genu verò flexo & specie adorantium sternutantes salutati fuisse videntur. Athenæus lib. 2. Ὅτι δ' ἱερὸν ἐνόμιζον τὴν κεφαλὴν, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ κατ' αὐτῆς ὀμνύειν· καὶ τοὺς γινομένους ὑπ' αὐτῆς πταρμοὺς προσκυνεῖν ὡς ἱερούς. *Quod autem sacrum olim caput existimaverint, indicio est jurandi per ipsum consuetudo, & sternutamenta, quæ ex ipso prodeunt, adorandi veluti sacra.* Quid verò sibi velit verbum προσκυνεῖν, & quæ Emphasis in illo occurrat, notius est, quam ut prolixe doceri debeat. Judæi quoque, ob caussam antea indicatam, quòd scilicet Sternutamentum aliquando lethale fuerit, sternuenti dicere solent, vel חיים simpliciter, hoc est *vita sit tibi*: vel plenius, חיים טובים hoc est, *vita bona sit tibi*: prout observatum

vatum eſt à Vorſtio, loco jam anta adeducto.

Caput Trigesimum Sextum.

Ob quam cauſſam Sternutantes ſalutari conſueverint? Examinantur Ariſtotelis rationes. Quanta ſit capitis præ aliis membris prærogativa, oſtenditur.

PRoxime expendere convenit, ob quam cauſam Sternutantes à Gentilibus ſalutari conſueverint: ratio enim quæ Judæos movet, & ſupra quoque eſt expoſita, nimis ridicula eſt, quàm ut examen mereatur, Ariſtoteles in Problematibus (ſi modò omnia ad Ariſtotelem referri debeant!) iterato in hoc inquiſivit. Sect. XXXIII. Probl. qu. 7. quærit: διὰ τί τὸν πταρμὸν θεὸν ἡγούμεθα εἶναι; *Cur ſternutamentum pro numine habetur, non tuſſis, neque gravedo?* Atque reſpondet: ἢ διότι ἐκ τοῦ θειοτάτου τῶν περὶ ἡμᾶς τῆς κεφαλῆς, ὅθεν ὁ λογισμός ἐστι γίνεται, τοῦτο δὲ οὔ. *An quia de capite membrorum diviniſſimo, unde ratio eſt, provenit. An quia alia quidem ægrotantibus fiunt; hoc autem non.* longe prolixius hoc deducit eadem Sect. Probl. 9. *Ubi ita per Interpretem loquitur:* Utrùm quia tribus locis exiſtentibus, capite, pectore, & inferiori ventre, caput eſt

diviniſſimum. Eſt autem flatus à ventre inferiori crepitus, ructus à ſuperiori: ſternutatio verò capitis, & propterea quod diviniſſimus eſt locus, flatum qui inde fluit, tanquam ſacrum venerantur. An quia omnes flatuum eruptiones prædicta loca melius ſe habere majori ex parte ſignificant, &c. Quare & ſternutatio locum, qui eſt circa caput, quia ſanus eſt, & poteſt concoquere, &c. Quare tanquam ſignum ſanitatis laborantis, & loci ſacerrimi ſternutamentum adorant, beneque augurantur: ὥστε ὡς σημεῖον ὑγείας τοῦ ἀῤῥώστου καὶ ἱερωτάτου τόπου προσκυνοῦσιν, ὡς ἱερὸν, καὶ φήμην ἀγαθὴν ποιοῦνται. Quo loco duas rationes Philoſophus reddit, breviter expendendas. Prior ratio deſumpta eſt à dignitate capitis, quod vocat ἱερώτατον τόπον· quomodo & κεφαλὴ θεασπεσίη, *Divinum caput* ab Heſiodo in Theogonia vocatur. Nam ut in Timæo Plato per Interpretem loquitur: *Caput eſt præter cæterum corpus honoratius & optimati quadam eminentia, cujus dominatui reliqua membra parent & obſequuntur.* Atque hinc antiqui Ægyptii, ut alibi ad Homerum Euſtathius obſervavit, ſimulacro Serapidis ſpecie humana, pro capite cælum impoſuerunt, ut capitis Divinitatem repræſentarent. Caput eſt velut Arx, in qua reliqui ſenſus ſtationem habent. Cice-

ro lib. 2. de Nat. Deor. *Sensus interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce*, &c. Minucius Octavio : *Et omnes cæteri sensus velut in arce compositi.* Inde & Apulejus in lib. De Dogm. Platonis. *Rationabilem, id est, mentis optimam portionem, hanc ait capitis arcem tenere.* Ibid. *Machinamenta, quibus ad sentiendas dijudicandasque quantitates & qualitates sensus instructi sunt erga regiam capitis constituta esse.* Hinc Serenus Sammonicus acturus de Capite, ita præfatur :

Principio, celsa de corporis arce loquamur.

Eoque, caput occasione sternutamenti salutari putavit Aristoteles, quòd sit in homine τὸ ἡγεμονικόν. Quæ & antiquorum Icc. sententia fuit. leg. 44. D. de Religiosis & sumptibus funerum ita loquitur Paulus Ic. *Cùm in diversis locis sepultum est : uterque quidem locus religiosus non fit, quia una sepultura plura sepulchra efficere non potest : mihi autem videtur, illum religiosum esse, ubi quod est principale, conditum est : id est, caput, cujus imago fit, inde cognoscimur.* Quæ forte desumpta sunt à Magno Platone, cujus olim sententia fuit teste Apulejo l. d. *Totum hominem in capite vultuque esse.* Nam ut eleganter dicit Plinius lib. 11. cap. 37. De capite : *Hoc habet sensuum arcem. Huc venarum omnis à corde vis tendit, hic definit, hic culmen altissimum, hic mentis est regimen.* Cum Paulus meminit imaginis, respicere

potuit illam magni Pompeii imaginem in triumpho visam, (Plinius meminit lib. 37. cap. 2.) quæ licet margaritis & gemmea varietate conspicua esset, nihil aliud tamen fuit, quam Triumphatoris caput, Orientis opulentia figuratum, sine reliquo corpore. Convenienter Ambrosius lib. 6. Hexam. de Gentilismo agens dicit: *Sola Principum capita, & ductos vultus ære vel marmore adoravit.* Atque, ut hic Aristoteles capiti propter sternutamentum prærogativam salutandi concessit; ita lib. 6. Eth. cap. 7. quod est in quaque re τιμιώτατον, vulgo κεφαλὴν appellari dicit: quod Gregorius Nyssenus hom. 5. vocat τὸ προὔχον τοῦ ὅλου, *quod maxime in toto excellit.* Similiter Chrysostomus Hom. 11. ad Popul. τιμίαν κεφαλὴν dixit, & alio loco, sive Hom. 13. ad Popul. viros principes nominat. τῆς εὐγενείας κεφάλαιον, *honoratum veluti caput nobilitatis.* Atque, hæc prior quidem Aristotelis ratio est, hactenus utcunque tolerabilis. Altera minus & liquida, & minus probabilis est. Nam, si ea valeret, capiti, ratione cerebri potissimum, sternutamentum succurrere deberet. at, hoc verum non esse ex antecedentibus patet. Interim si caput pro toto, quod cerebrum quoque continet, accipiatur, admitti quadantenus potest. Nam sternutamentum caput allevat, si forte, V. C. ut antea notavimus, coryza molestias moveat. Imo, etiamsi cere-

bro

bro expurgando per se non conducat, per accidens tamen prodest, excretis humoribus ex arteriis carotidibus ad os & nares tendentibus.

Caput Trigesimum Septimum.

Antiqui Patres Christiani non tam condemnarunt ritum sternutantes salutandi, quam potius Gentilium multiplicem superstitionem in observandis sternutamentis. Expenditur, qua fide Rev. D. Voetius in loca Patrum digitum intenderit.

QUi haberi volunt in Theologia non minus Theoretice quam Practice ἀκελεύστατοι, laborantque, ut dictitant, ab omni specie mali remotissimi esse, grande nefas esse putant, salutem sternutanti dicere, quòd hoc Ethnicismum redoleat: atque, ut hoc persuadeant, sollicitant quædam loca antiquorum Patrum, qui hunc sternutandi ritum serio arguerint. Verum inauspicato. Neque enim Primœvæ Ecclesiæ Doctores reprehendunt salutantes eos, qui sternutant: sed qui superstitiose ad sternutamenta, sive dextra sive sinistra, velut omina attendunt. Unde Clemens Alexandrinus in vestibulo lib. 7. Strom. ubi totus

eſt in arguendis ridiculis Paganorum ſuperſtitionibus, inter alia verſus quoque Philemonis Comici adducit. quos copioſius exhibuit Theodoretus (is maximam partem orationis de Providentia mutuatus eſt à Clemente) lib. 6. de Curand. Græc. affect. Hæc verò inter alia in Theatro Philemon aliquando protulit.

"Οταν ἴδω παρατηρῦντα, τίς ἔπταρεν,
ἢ τίς ἐστιν ὁ περιστιὼν σκοπῦντα, ἀπολῶ
τῦτον εὐθὺς, &c.

Cum videro (inquit) *obſervantem qui ſternutat, aut ſpeculantem, ſi quis accedat, perdam hunc ego hominem è veſtigio*, &c. Rationem hanc addit Comicus, quòd unuſquiſque ſibi, non verò aliis ſternutet & loquatur.

Ἑαυτῷ βαδίζει, καὶ λαλεῖ, καὶ πτάρνυται
Ἕκαστος ἡμῶν.

Hanc ſuperſtitionem Origenes quoque arguit lib. 3. in Jobum, in egregia illa Digreſſione contra Incantamenta & Superſtitiones. Inter alia hæc ibidem offendas: *Quidam autem ſternutamentis adhuc obſerviunt, & invocationibus, atque revocationibus, & occurſibus, atque volucrum vocibus, non intelligentes miſeri & ſpe vacui, quia à Domino greſſus hominis diriguntur.* En! ut ſternutationes, componendo illas cum occurſibus, duntaxat arguat, quatenus ominoſæ habebantur. Nec alia mens Auguſtini fuit. Serm. 241. de

de Temp. *Illas* (inquit) *non ſolum ſacrilegas, ſed etiam ridiculoſas ſternutationes conſiderare, & obſervare nolite.* Quò facit etiam illud Baſilii Magni in Eſaiam: ἐπτάρη τίς φησιν, ἐπὶ τῷ λόγῳ, καὶ τόδε σημαίνει. *Sternutavit aliquis in concione, nimirum, inquit, deſignat hoc aliquid.* Quaſi dicere velit, apageſis ſuperſtitionem eorum, qui horrendi aliquid ſignificari exiſtimant, ſi aliquis in concione ſternutaverit. Elegans quoque locus, & huc pertinens occurrit apud Johannem Sareſberienſem lib. 2. Policrat. cap. 1 cujus Capitis ut hæc eſt inſcriptio. *Omina vana eſſe, & res ex fide ſua cuique reſpondere.* Ita initium eſt, quod ſequitur. *Ruſticanum & forte Offelli proverbium eſt; Qui ſomniis & auguriis credit, nunquam fore ſecurum. Ego ſententiam & veriſſimam & fideliſſimam puto. Quid enim refert ad conſequentiam rerum, ſi quis ſemel aut amplius ſternutaverit? Quid ſi oſcitaverit? Quid denique ſi undique ſonum emiſerit? Hæc tamen ex cauſſis, quas Phyſici noverunt, aliquatenus ad eum pertinent; circa quem fiunt. Eſto, dum aliena opera impedire, aut promovere non queant.* Sareſberienſis ſcriptor ſupra ſeculum, quo vixit, terſus & limatus, ſternutamenta non arguit, niſi quatenus à ſuperſtitioſis cenſebantur futurarum rerum omina eſſe. Nec ulli ex Patribus unquam in mentem venit ea aliam ob cauſſam arguere. Ut mirandum per

omnia

omnia sit Rever. D. Voëtium, in Appendice Historico. Theologica de Sternutatione, quam adjunxit Disputationi de Superstitione, habitæ Utrajecti die 4. Julii, Anno 1640. Thes. XII. *ausum fuisse ita scribere* : Gentiles sternuentes salutasse, & officiosa bonorum verborum appellatione veneratos esse, notum est ex Aristotele l. cit. Athenæo lib. 2. cap. 15. Plinio lib. 28. 2. aliisque, ut Herodoto lib. 6. ubi de Hippia; Xenophonte in Cyro Minore lib. 3. & 6. Et ad eorum superstitionem, referunt originem talium salutationum & apprecationem antiqui patres; ut Theodoretus de Curat. gr. aff. serm. 6. pag. 88. & Origines contra Celsum lib. 4. p. 231. Augus. de doctr. Christian. lib. 1. *Hactenus D. Voëtius*. Quæ hic castiganda non occurrunt! Omissis verò illis, quæ perperam quasi ex Theodoreti Sermone sexto, libro in sermonem transformato, adducuntur, item, quod Origenes contra Celsum eadem existimetur scripsisse, quæ lib. 3. Comm. in Jobum occurrunt: oscitantiæ singulari imputandum est, quòd ipse vir πολύγραφος non inspexerit ipsum Augustinum lib. 1. de Doctr. Christ. plures agentes de Sternutatione eum locum citarunt, secuti fidem Cælii Rhodigini lib. 24. Antiq. Lect. cap. 27. quem cum publice constet, negligentissimum esse in laudandis Aucto-

ctoribus, quorum auctoritate narrationem aliquam fulcire vult; certè vir Reverendus, qui in suis scriptis hactenus se universalem censorem professus fuit, ipsum Augustinum adire & excutere debuisset. Minime verò tolerandum, quòd antiquis Patribus opinionem affingat, quæ nunquam iis in mentem venit. Aliud longe est, docere, sternutamenta non esse observanda, ut rerum futurarum omina; aliud, non esse, pro ratione loci & hominum, inter quos vivimus, salutandos sternutantes.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

An Sternutamentum ideo salute dicta excipiatur, quod flatus sit honoratissimus. componitur cum ructu, & crepitu ventris.

ARistotelis Quæstio d. probl. 9. Sect. 33. ita proponitur: διὰ τί τῶν μὲν ἄλλων πνευμάτων αἱ ἔξοδοι, οἷον φύσης καὶ ἐρυγμοῦ, οὐκ ἱεραί? *Cur cæterorum ventorum eruptio, ut flatus, aut ructus non sacra, sternutamenti autem sacra habetur?* Quo loco, ut Philosophus Sternutamentum inter πνεύματα, seu flatus, refert; ita illi, eodem præeunte in duplici sunt differentia. Aut enim

exeunt per os, aut per anum. Qui per os exeunt aut nihil, quod averſari aliquis poſſit, circa ſe habent, ut ſternutamenta : aut aliquid, quod moleſtum eſt, ut ructus acidi & inſipidi. Qui per guttur inferius dimittuntur, iterum duplices ſunt, vel σιγάδεις καὶ ἄψοφοι, *ſilentes & ſine ſtrepitu*, qui à Latinis *peditus* vocantur : alii ſunt διαβορβορύζοντες, *ſtrepentes & murmurantes*, qui à Græcis πορδαὶ, à Latinis *Crepitus ventris* dicuntur. Quæ conſiderans Gallorum ſuorum ingenioſiſſimus Michaël Dominus de Montaigne en ſes Eſſais Liv. 3. Chap. 6. ſternutantes ſalutari dicit, quòd ſternutamentum inter flatus corporis humani ſit honeſtior, additque de illo : *& parce qu'il vient de la teſte, & eſt ſans blaſme, nous luy faiſons ceſt honneſte recueil.* Quæ ratio quam ingenioſa & tanto ſcriptore digna eſt. Rev. Voëtius, vellet tuſſim, vomitum, oſcitationem, pandiculationem, &c. pari loco cum ſternutatione haberi : ſed, non attendit ea νοσῶδές τι complecti, & morborum ut plurimum ſymptomata eſſe : quum flatus jam dicti, qua tales (quæ ex accidenti ſternutationibus accidant, jam antea expendimus) ſanitatem ſi non arguere, ſaltem ſanis accidere conſueverint. Eoque, Sternutamentum ut pote ſanitatem arguens, & reliquis flatibus honeſtius, ſi Scriptori acri credimus, ſalutatione cohoneſtari ſolet. Quam equidem

dem ructus non promeretur. Quando enim ructus cum sonitu ore erumpit, non possunt non, ob opertum quasi cloacæ epistomium, honestorum virorum delicatæ aures offendi. Eoque M. Tullius Cicero Phil. 2. invehens in M. Antonium, has oris exhalationes jure turpes & ab hominis ingenui dignitate longe alienissimas opinatur. Idem L. Pisonem jure suo uti fœdum ganeonem reprehendit, quòd civibus longe ornatissimis ore fœtido teterrimam popinam inhalasset. Eoque, nullus unquam ructantem salutavit: unos τοὺς κόλακας, seu, assentatores si excipias, quos scite suis coloribus Diodorus Sinopensis apud Athenæum lib. 6. adumbravit:

—— ἐπειδὴ περιερεύγοι
Ῥαφανίδα καὶ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν,
Ἴα καὶ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ἠρευγμέναι.

—— *in faciem si quis ructet*
Radicula vorata, aut siluro putri,
Rosam ipsam, & violas dicent pransum esse.

Imitatus est Juvenalis Satyricorum Latinorum ingeniosissimus Sat. 3.

—— *laudare paratus,*
Si bene ructavit.

Turpius est assurgere ventris crepitum emittenti. Nam quanquam Stoici, teste Cicerone

cerone lib. 9. Epift. Fam. ep. 22. differebant *crepitus æque liberos ac ructus esse oportere*: & Claudius Imp. tefte Sueton. lib. 4. cap. 32. meditatus fuit *Edicto* confulere, ut daret veniam flatum crepitumque ventris emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex conti nentia reperiffet: inter ingenuos tamen qui educatus eft, omnibus modis fibi cavebit, ne in honeftorum virorum confortio *fores suæ crepent*, ut Plautina locutione utar. Nec φυσῶντα alii falutabunt, quàm γλωσσογάστορες, quorum guttur, ut Hieronymus feftive adverfus Jovinianum dicit, *meditatorium efficitur latrinarum*. Et tamen pro verò referri audivi, quòd Anabaptifta aliquis, (homines hi in moribus rigide affectant effe præcifi, cum tamen ut plurimum Bacchanalia vivant) qui nefas exiftimabat effe Sternuentes falutare, fiquidem fieri non poffet citra nominis Divini profanationem; uxori & liberis injunxerit, ut, fibi crepitum ventris emittenti, faufta apprecarentur. Dubium, an præ nova fuperftitione, an ut indecora hac falutatione oftenderet, idem fieri ab iis, qui fternuentibus affurgunt. Addebatur, uxorem hominis impudentis, cui hæc cynica falus difplicebat, aliquando vicinæ dixiffe: quòd quoties liberi fui parenti, follem fuum recludenti, dicerent: *Profit tibi Pater*: ipfa cogitaret, imo profit & mihi. Etenim homo

mo meus poculis in occulto addictior, & cum anu ad armillum suum identidem redire solitus, sæpe, dum ita loqueretur, solitus erat ventrem solvere, & simul uxor, nimis quàm obsequiosa, conspurcata mariti femoralia ac caligas eluere atque mundare cogebatur.

Caput Trigesimum Nonum.

An Sternutanti convenienter salus dicatur, quod sternutando periculum multiplex incurrere possit? Nec tamen Sternutamentum morbus est. Iterum occurritur illis, qui Sternutamentum ventris crepitui adæquare solent.

Proxime expendere convenit, an sternutantibus propterea bona verba convenienter dicantur, quòd, dum sternutant, multiplex incommodum incurrere possint. Occasionem exhibet Medicus quantivis pretii Felix Platerus Tom. 1. Med. Pract. apud quem occasione Epilepsiæ, pag. 34. & seqq. offendo *proxime sequentia:* A pituita quoque tenui, salsa acrique, à cerebro in spatia per quæ nervi feruntur, defluente, nervosque vellicante, Epilepsia fieri potest: qualis in paralysi nonnunquam nervos irrigans, primo resolutiones, mox

mox acrimonia sua, quam vel prius obtinuit, vel ex putredine de novo adepta est, nervos sollicitans, convulsiones eas, quæ paralyses quandoque sequuntur, excitat. Quas sternutatio, ab eadem pituita in nares à cerebro quoque destillante oborta (*corrigi hoc debet ob illa, quæ superioribus capitibus dicta sunt*) prævenire & præsagire solet: unde fortè hæc benè precandi post sternutationem consuetudo, cum sternutationem Epilepsiæ prænuntiam interdum esse observassent, primam suam sumpsit originem. *Huc usque Platerus.* Sternutationem Epilepsiæ Paroxysmum sæpius præcedere, jam antea observavimus, & cum Sternutamento adhærere consueverit, vir Cl. existimat, inde consuetudinem salutandi sternuentes, originem traxisse. Addo, seposita consuetudine, sternutanti licere fausta quæque à Deo precari, quod sternutamentum vehementius solito, non modo Epilepsia secuta fuerit, verum etiam Hernia, cæcitas, & alia, per exempla superius probata. qualia extemplo, & in continenti, quum neque tussim, neque oscitationem, neque vomitum, neque pandiculationem, &c. ordinario comitari consueverint; sternutamento potius, quam ulli ex reliquis omnibus, votiva acclamatione applauditur, (acclamationis & applausus hujus rationem subsequenti capite distinctius explicabimus.) Nec tamen

men putandum est, Sternutamentum morbum aliquem singularem fuisse, aut, hoc docuisse Ebræorum Sapientes. licet, ita existimet ὁ πάνυ D. Casaubonus, lib. 2. Animadv. in Athenæum cap. 15. *Alii morbum, aut morbi indicium sternutationem interpretabantur. Ideo sternutantibus bene precabantur usitata formula ζῆθι ζῶον. Eadem opinio doctores Hebræos tenuit, in quorum libris* Ascorah, *hic morbus dicitur, & de eo multa narrantur.* Sed, quòd pace viri summi dictum sit, talis morbus ignotus est Rabbinis, atque Judaicarum Antiquitatum consultissimi à me super eo consulti, nihil de illo sibi liquere, responderunt. Non memini quoque, aliquem ex Græcis Medicis, τοῦ πταρμοῦ, ut morbi mentionem fecisse. Sed, aliquis superstitiosus, & infestus ritui, juxta quem bona verba sternutanti dicuntur, ventum, qui ab inferiore ventre exit, iterum objiciet: quòd & is si retineatur, varia incommoda procuret. Sed quanquam Nicander in quodam Epigrammate scripsit:

Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα:

atque, ita legitur in Schola Salernitana:

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento,
Spasmus, Hydrops, Colica, & Vertigo: *hoc res probat ipsa.*

Nihilominus tamen dispar plane Sternutamenti est ratio. Ne enim dicam, iniquum

esse illud componere cum flatu, omnium gentium judicio probroso: amplius sternutantibus, dum sternutant, assurgitur, quòd ad ipsum actum sternutatorium multiplex incommodum obvenire possit; cum flatus inferior non noceat, nisi retentus fuerit.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Exponitur Salutationis ritus in communi; atque convenienter, pro consuetudine cujusque gentis, inter sternutandum eandem frequentari, ostenditur. Qua formula sit utendum: &, quid facto opus sit, si aliquis sæpius sternuat.

UT tandem quæstionem, neque Physicam, neque Medicam, nec etiam Historicam, aut Antiquariam, sed Moralem, resolvam; ratio salutationis antea expedita esse debet, quàm aliquid de hac salutatione definite responderi possit. Ergo salutatio à salute dicta est. Sic enim Augustinus Serm. 42. de Sanctis, Tom. 10. *Qui salutat, salutem dicit: salutatio enim à salute nomen accepit.* Eaque, tacita & implicita quædam precatio est, quæ & Christi mandatum habet, Matth. 10. 12. & exemplum, Luc. 24. 36. Joh. 20. 21. & 26. Quod & passim Apostoli fuerunt imitati, speciatim

in

in suis Epistolis. Ut autem respectu Dei precatio est, quemadmodum modò dictum fuit; ita respectu proximi agnosci debet officium & testimonium Christianæ charitatis: adeo ut, qui eandem negligit, jure merito incivilis atque inhumanus haberi mereatur. August. l d. *Si quis obvium sibi non salutaret, à viatore non habebitur homo, sed truncus, aut statua Mercurialis.* Quatuor verò in ea sunt præcavenda. Nam non debet esse aut simulata, aut ambitiose affectata, aut insidiosa & adulatioria propter speratum lucrum, aut etiam superstitiosa. *Primo* non debet esse simulata: eoque non est præstanda solummodo pro more, verum maxime ex fraterna charitate. Simulationis autem crimen incurrit, qui illi verbo salutem dicit, cui ex animo eandem à Deo non exoptat. Quomodo Judas Christum salutavit, quem perditum ibat; χαῖρε ῥαββί Matth. 26. 49. *Secundo* peccant, qui hoc officium inservire volunt suæ ambitioni, adeoq; ubique affectant. Tales olim notabantur in Judæa Pharisæi, quos hoc nomine Christus perstringit, quòd *salutationes in foro appeterent.* Atque olim idem à suis Clientibus Romæ exigebant, qui opibus & potentia pollebant. res notissima est. Unde queritur Martialis lib. 3. Epig. 36. de Fabiano. præter æquum (inquit) jubes,

Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum.

Nec minus culpandi *tertio* sunt, qui officium tale adulando deferunt, ut aliquid consequantur, quod serviat, aut rei familiaris, aut existimationis suæ incremento. Olim Romæ, qui matutinum *Ave* apportabant, sportulas soliti erant accipere. cujus rationem jam diu est, quod Critici exposuerint. quæ cum conductis Clientibus magnam partem dari solerent, valde eleganter Juvenalis Sat. 5. dicit:

——nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inspicit, & trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.

Præ cæteris verò *quarto*, sive, *postremo* culpari debent superstitiosæ salutationes. Quæ rursus multiplices sunt. Nam *primo*, si deferantur idolis, quæ juxta Paulum, 1 Cor. 8. 4. *nihil sunt*, nulla ratione probari debent. tales receptæ erant apud Gentiles antiquos, speciatim Romanos. Notum illud Ovidii lib. 15. Metamorph.

——lætoque Deum clamore salutant.

Item illud Livii lib. 30. *Prætor extemplo edixit, uti Æditui sacras ædes omnes tota urbe aperirent, circum eundi salutandique Deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret.* Atque, hæc erat ipsa *Adoratio*, sive,

προσκυνήσεις, ut ab aliis jam olim observatum est. *Secundo* superstitiosum quoque est mortuos salutare. Nam si salute dicta aliquid iis precemur, consequi non possunt, quum merces ipsorum à Deo, mox ab hora mortis definita sit. Et tamen tales salutationes apud Gentiles receptæ erant. Virgil. lib. 11. Æneid.

—— Salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale.

Ad quem locum consulendus est Servius. non absimiles salutationes hodie adhuc in Papatu sunt receptæ. *Tertio* ad superstitiosas quoque salutationes referri debent, quibus auguria & omina, sæpe quam vana, si non ridicula, excipiuntur. Virgil. lib. 12. Æneid.

Tum verò augurium Rutuli clamore salutant.

Quarto superstitiosæ quoque sunt illæ salutationes, quæ jam olim factæ, velut statæ preces habentur, ad consequendum à Deo illa, quæ, tum animæ, tum corpori conducunt. Talis est Salutatio Angelica, instituta quidem ad Virginem Mariam, ab Angelo Gabriele ante natum generis humani Redemptorem, sed quæ hodie à Papicolis instar formulæ præcatoriæ usurpatur. Ingens amentia est, salutationem, respicientem futuram beatæ Virginis prosperitatem, quæ à nato usque Christo completa est, precationis instar habere, eamque juxta nume-

rum recitatam, Deo, largitori omnis boni admetiri, pro consequendo non modo aliquo beneficio, verum avertenda quoq; certa calamitate. *Quinto* superstitiosa quoque salutatio evadit, si juxta superstitiosos ritus aut instituatur, aut, si votum dirigatur ad creaturam, aut ad aliquid, quod non est æternus & omnipotens Deus. Quibus prælibatis, nihil certe deprehendetur, quod possit officere salutationi, quam sternutantibus impartiri ex consuetudine solemus. Sternutatio ut non habetur omen, ita voto addito non excipitur bonæ scævæ caussa. quod cum sternutamento quædam incommoda corpori accidere consueverint, iis, qui sternutant, ex consuetudine fausta imprecamur. Hic consuetudini, modo nihil circa se vitii habuerit, plurimum tribuendum esse, quicunque sapit, judicare debet. Quando amicos ad navim deducimus, prosperum iis iter precamur: non tamen votum repetimus, quando nautæ aut velum sustollunt, aut nauclerus clavum dirigere incipit. licet hic quoque Dei benedictio sit necessaria: votum tamen reticemus, quod consuetudine non sit receptum. Laborantes si aliquos viderimus, fausta apprecamur, &, ut labor prospere succedat, vovemus: quando tamen laborare desierint, quod usu non sit receptum, votum novum non addimus, quod tamen necessarium æque videtur.

Quod

Quod enim verum est ratione militiæ, quæ labore castrensi definitur, circa quemcunque laborem observari debet. Attendi scil. debet verbum Achabi, licet regis alias improbi: *Ne jactet se, qui accingit se, ut qui discingit*, 1 Reg. 20. 11. Ut verò nemo reprehenditur, quòd laborantes salutet, ita nemo quoque censuram meretur, si eos, qui à labore redeunt, salutare neglexerit. Illud per consuetudinem probatur, hoc autem excusatur, quod consuetudine non sit receptum. Qui sternutantes salutant, pro se habent consuetudinem: qui tussientibus idem officium non præstant, censuræ securi esse possunt, quòd juxta consuetudinem, cui quasi non satisfecerint, argui non possint. Quæ formula salutandi sternutamento conveniat, haut necessum est scrupulose inquirere: quæ nihil profani, nihil superstitiosi, nihil ad Gentilismum aut Papismum pertinens, complectitur, probari potest. nec refert, an solo gestu, (V. C. juxta ritus patrios, pilei apertione) an verò addita quoque certa verborum formula, hoc officio defungamur. Quanquam, (cum consuetudo rationabilis hoc imperet & ratio nulla obstet) incivile est, hoc officium negligere. Vere enim Ambros. lib. 7. in Lucam, cap. 10. *Salutatio*, inquit, *communis est usus gratiæ. Sic inferiores superiorum favorem sibi conciliare consueverunt. Gentiles quo-*

que cum Christianis ejusmodi habent commercia. Sed, quid si sæpius aliquis sternutet, an, citra profanationem nominis Divini, sæpius quoque salutem precari liceat? Consuetudinis juxta prudentiæ regulas ratio habeatur. Nemo dici potest peccare, si, observatis requisitis jam antea propositis, singulos ex ordine ad convivium accedentes, salutet; ita nemo quoque peccarit, si quodcumque sternutamentum officiose salute dicta exceperit. Quibusdam ex nostratibus Anabaptistis mos est, ad primum sternutamentum caput duntaxat aperire, atque, ubi sæpius sternutans sternuerit, ex eo quærere: Ergone, desiisti sternutare? Qui si annuat, tum subjicere: Deus proinde tibi benedicat. Quæ nos imputamus hominum horum affectatæ hypocrisi, aliàs forte prolixius deducendæ. Quisquis ex Christianis prudens est, pro circumstantiis loci, temporisque, maximè consuetudinis secundum diversa loca receptæ, omnia sciet dirigere.

CAPUT

Caput Quadragesimum Primum.

Respondetur Guilielmi Perkinsii Theologi Angli rationibus, quibus probare nititur, inconveniens quasi esse, & principiis Theologiæ adversarium, sternutantes salutare.

NOn modo verò hodierni Anabaptistæ, Enthusiastæ, Queeckeri, similesque, infesti sunt innocuo ritui sternutandi; sed jam olim quoque quidam ex ipsis Reformatis Theologis, viri cæteroquin docti & pii, existimantes hac ratione Christianos per consequentiam quandam ἐθνίκιζειν, & tacite Dei nomen profanari, eumdem non tam arguere quam penitus improbare instituerunt. Inter eos familiam ducit vir Celeberrimus, ac magni nominis inter Theologos Anglos D. Guilielmus Perkinsius. Cujus libellum Belgicum de Moderamine Linguæ, in quo Quæstionem hanc cap. 6. tractat, cum duntaxat possideam, bona fide, illa, quæ Belgice ibi occurrunt, Latine reddam. *Ita ergo Perkinsius:* In omnibus (*inquit*) locis usitatum, ut salutetur, is, qui sternutat, eique dicatur : Deus tibi benedicat. Verum non est caussa, cur tum verba illa magis usurpentur, quam alio

 tem-

tempore. Rationes hæ ſunt. 1. Antiqua eſt conſuetudo à Gentilibus deſcendens, etiam ante natum Chriſtum,(*in Margine citantur Ariſtot. de Hiſt. Anim. lib. 1. cap. 10. & Probl. Sect. 33. Plin. lib. 28. cap. 2.*) & omni fundamento deſtituitur: conſueverant enim talibus vocibus hominibus ſalutem imprecari, exiſtimantes ſternutationem rem ſacram eſſe: aliis quoque putantibus *ſternutationem* augurium eſſe rei, aut proſpere, aut male ſucceſſuræ: quod plane aliter ſeſe habet. 2. Si à Sternutamento periculum immineret cerebro, eo, poſtquam homo ſternutavit, jam defunctus eſt, ut eruditi Medici docent. Eoque, cauſſa non eſt, cur aliquis verbis illis magis utatur occaſione ſternutationis, quàm tuſſis. *Huc uſque Perkinſius.* Quæ ordine, inhærendo tamen illis, quæ antea propoſuimus, examinaturi ſumus. *Reſp.* 1. Bonum factum, quòd Theologus alias ſingularis & inſtar plurium aliorum, fateatur conſuetudinem hanc velut Univerſalem eſſe, atque inter plures nationes receptam. Ergo argui non poteſt, ut paucorum ſuperſtitio. 2. Præſupponitur à Gentilibus, ad Chriſtianos uſque hanc conſuetudinem derivatam eſſe. Sed, hoc etiam ſi conceſſerimus, probari deberet, omne illud improbandum eſſe in Chriſtianis, quod factum fuit à Gentilibus. Gentes aperiendo caput, venerari illos ſolent, quos

quos salutabant, ut patet ex Plutarchi Quæst. Rom. qu. 10. iidem affectum singularem amicis testaturi, dextram dextræ jungere solent, unde illud Maronis lib. 1. Æneid.

Cur dextræ jungere dextram Non datur.

Hi ritus inter nos adhuc hodie frequentantur, cum tamen in Scriptura exempla non occurrant. Improbari autem non modo ut profani, verum etiam superstitiosi, deberent; si hoc principium admittendum foret. 3. Gratis dicitur, omni fundamento destitui hanc salutationem; contrarium patet ex ipso loco Aristotelis, in quem digitus intenditur. 4. Do lubens, Gentilium quosdam circa Sternutamenta ridiculam superstitionem fovisse. Sed alii, qui sapientiores erant, (inter quos & Cicero erat, ut supra annotabamus) hoc riserunt. Nec unquam probabitur, propter paucorum superstitionem salutationem invaluisse. 5. A sternutamento non quidem cerebro sternutamentum impendere, nisi forte ex accidenti, constat ex superioribus. Cæterum probatum pariter est, aliquem, dum sternutat, varia incommoda incurrere posse. 6. Vellem adducta fuissent testimonia Medicorum, qui docuerint, peracto sternutamento sternutantem omnibus periculis defunctum esse. Contrarium ex illis ipsis, jam antea probavimus. 7. Inconvenienter Sternuta-

tio cum Tussi componitur, prout ex superioribus jam antea patuit. Mirum Perkinsium, qui Lectori suspicionem movet quasi Medicorum præsidio sua sententia niteretur, nullius Medici speciatim meminisse: quod ab eo vero neglectum est, supplebo; cæterum citra præjudicium meæ sententiæ, quæ rationibus magis quàm auctoritate nititur. Ergo Perkinsio videtur ὁμόψηφος esse Guilielmus Rondeletius, vir scriptis celeberrimus, apud quem lib. 1. de Curandis Morbis, cap. 70. occurrunt, *quæ sequuntur*: Sæpe tamen multi sternutamento moriebantur, (*inquit*) animamque efflabant, aut Epileptico insultu convellebantur, & concutiebantur, unde invaluit consuetudo apud Christianos, ut sternutanti bene precentur, quod ex Gentium persuasione sumptum est, quæ aliquid ominis, ut eorum monumenta testantur, nimium superstitiose adjiciebant. *Hactenus Rondeletius*. Sed hæc nequaquam illis, quæ hactenus verè & cum ratione deduximus, adversantur.

CAPUT

Caput Quadragesimum Secundum.

Examinantur D. Gisberti Voëtii *determinationes* Theologicæ, *de ritu salutandi Sternutantes.*

CEleberrimus D. Gisbertus Voëtius in sua Appendice de Sternutatione, multa quidem more suo, hoc est, negligenter atque citra judicium collegit, & coacervavit, oscitanter tamen admodum illud egit, quod tanquam Theologus facere debuisset. Ita enim ad Thesin XIII. dictæ Disputationis præfatur: *Sequitur Diascepsis moralis, sed quam cogor indicare tantum, & nunc abrumpere.* Hæc tamen Theologus, & quidem circa quæstiones Morales præ aliis rigidus, potissimum exequi debuisset. Addit proxime: *Tantum ergo propono hæc problemata.* Problemata hæc expendemus, & quidem ordine. *Primum* ita habet: *An Gentili, aut Iudaica, aut Christiano-Italica consuetudine, & propter aliquam ex caussis allatis, teneamur sternuentes aut venerari, aut ad sternutationem gratias agere, aut bene ipsis precari, aut illis gratulari?* N. Resp. 1. Tacito omnium Gentium consensu receptum esse, Sternutantes salutare, ex antecedentibus patet: licet inter omnes non conveniat de ratione & caussa hujusce consuetu-

dinis. 2. Judæos putidis fabulis, omnia, quæ verissima quoque sunt, consuevisse obscurare in aperto est: eoque curari non debet, quamnam ipsi caussam prætexant, cur Sternuentes salutentur. 3. Christiano-Itali hic frustra aliis Christianis opponuntur: nec procedit hæc sequela; tres quatuorve (supra eos produximus) perhibuerunt in Italia, sub Gregorio aut Pelagio Pontifice primitus receptum fuisse, occasione inguinariæ Pestilentiæ sternutantes salutare, Ergo hoc quoque verum est. 4. Gentilis consuetudo prætexi posset, si Gentilis quoque salutandi formula recepta foret. Salutem sternuentibus dicimus, sed formula Scripturæ haud adversante. 5. In congressu citra superstitionem, imo, citra Censuram quoque rigidiorum Casuistarum, usurpamus Gentilium Salve, aut χαῖρε; non tamen dixerim cum Plauto Trinummo: *Tu ædepol salve*: aut, cum Terentio Andria, *Salve mecastor*. Ita neque Sternutanti precabor propitium Jovem, sed Deum vivum. Sequitur *secundum* Problema: *An rationes Physicæ & Medicæ suadeant, tale quid magis tunc observare, quàm in aliis evacuationibus, aut symptomatis motus, supra memoratis?* N. Resp. Contrarium supra patuit: eoque nihil super addimus. *Tertium* hoc est: *An Ethica & civilitas morum magis hoc suadeat, in hoc casu, quam in tussi?* N. Quando civilitas morum

rum in quæstionem venit, & de illa disputatur, ante omnia constare debet, quid loci & gentis cujusque ratio probet, aut improbet. Cultissimus scriptor Corn. Nepos sic auspicatur Præfationem, quam præmisit Historiæ suæ de viris Illustribus: *Non dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturæ leve, & non satis dignum summorum virorum personis judicent: quum relatum legent, quis Musicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari, saltasse eum commode, scienterque tibiis cantasse. Sed hi erunt fere, qui expertes literarum Græcarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt. Qui si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari: non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum sequutos.* Quod consuetudo nihil vitii habens, has salutationes introduxerit, quisquis sapit, eidem non obnitetur. Sequitur *quartum* Problema: *An sapiat vanam observantiam, & an præstet omittere?* A. At, contrarium jam antea non tam ostensum, quàm certò quoque demonstratum est: atque si ulla Ethico-Theologica Demonstratio (pro qua scil. Scriptura non potuit adduci) unquam liquidò est deducta, næ hæc ipsa deducta est sufficientissime. *Quintum* Problema his verbis exprimitur: *An consuetudo illa tolerari possit?* A. Mira est responsio. Vir cele-

Celeberrimus illud Apostoli: *Ab omni mali specie abstinete*, quo usque aliàs non solet extendere? Fatetur ipse, hanc salutationem sapere vanam observantiam, &, ut antea præsupposuit, Gentilem, Judaicam, &c. esse: qua conscientia ergo illam, ut Theologus, tolerare potest? Nisi subtilem invenerit distinctionem, tenebitur. Distinxerit quoque; Theologiæ suæ Casuisticæ vincula laxabit, atque ostendet, tantum ei deferendum esse, quantum aliquis scientiæ & conscientiæ habet in distinguendo. *Ultimum* Problema, præcedenti cohærens, hoc est: *Quomodo, quamdiu? Resp. secundum circumstantias, personarum, locorum, temporum,* &c. *hoc disquir. Rationes & testimonia alias addemus*. Vellem has circumstantias definite magis exposuisset, simul rationes & testimonia addidisset. Adeo fungum me esse profiteor, ut videre non possim, quomodo actio aliqua hominis Christiani, quæ respondeat actioni Gentilis, ut Gentilis; & Judæi, ut Judæi; (procedo juxta principia viri Celeberrimi) adeoque redoleat vanam observantiam, possit censeri licita juxta aliquas Circumstantias? Certe hæc actio cum secundum præcedentia non possit non in se mala esse, quomodo, habita ratione circumstantiarum, censeri possit, ullo pacto licita. Adiaphoram si D. Voëtius eam esse statuisset, distinguendo & limitando aliquid proficere potuisset. CA-

Caput Quadragesimum Tertium.

Rejicitur superstitiosa Sternutationis observatio, licet inter Christianos recepta.

UT vero hactenus verba fecimus pro ritu salutatorio, quo, Christiani quoque cujuscunque professionis, soliti sunt sternuentes excipere, paucos Pharisaicos cumini sectores si excipias, ostendendo illum innoxium esse; ita nequaquam hæc ita accipi volumus, quasi pariter superstitioni, quam pro dolor! quidam ex ipsis Christianis ad hoc fovent, circa actum sternutatorium, patrocinium præstemus. Veteres Ægyptii, ut ex Petosire & Neocepso observavit Augustinus Niphus lib. 1. de Auguriis cap. 21. juxta Lunam Sternutamenta considerare solent, atque habita ratione ejusdem, ut dispositæ juxta ordinem duodecim signorum Zodiaci, varia augurari, sic tamen ut attenderent unum solum sternutamentum, pluraque ad primum referrent. Juxta hos (nisi fallat Niphus) si quis sternueret Luna existente in Ariete significabatur: *Litem atque calumniam fore.* In Tauro: *Advenire hospitem.* In Geminis: *In regione fieri morbos.* In Cancro: *Rixas in civitate oriri.* In Leone: *Regimen, aliquidque magni evenire.* In Virgine: *Suasiones*

stiones fieri astutiasque. In LIBRA : *Spem emergere.* In SCORPIO : *Angustias contingere.* In SAGITTARIO : *Iter viasque fieri.* In CAPRICORNO : *Gaudium atque lætitiam accidere.* In AQUARIO : *Dolorem litemque surgere.* In PISCIBUS : *Bonam caussam emergere.* Quæ Auguria, superstitiosa per omnia, quisquis sapit, risu verius excipienda, quàm prolixe refutanda esse indicabit. Inter ipsos Christianos quoque, quod deplorandum, superstitiose hoc etiam tempore, sternutamenta observantur. Ita refert Lælius Bisciola Tom. 1. Hor. subseciv. lib. 11. cap. 4. ex Joviano Pontano lib. 4. de Serm. quod Hispani augures, etiamsi Christiani, ubi unum tantum sternutamentum fuerit, & malum & portentosum illud prædicent. Ejusdem notæ sunt illa, quæ occurrunt apud Jasonem Pratensem cap. 33. sæpius jam antea adducto : *Observatum* (inquit) *comperio, si ægrotus vir semel duntaxat sternuat, quòd is morbi ferocia victus occumbet. Si verò geminet, bisque sternuat, profligato morbo revalescet.* In horum caussas si quis inquirere vellet, merito temporis decoctor haberi posset. Et tamen hoc factum fuit ab Aristotele, dum Sect. 33. Probl. 11. quærit : *Cur sternutamenta, quæ sunt à media nocte usque ad meridiem, non censentur bona ; quæ verò à meridie usque ad noctes, bona?* Eoque, ob rationem jam propositam, neglige-

re

re poſſemus cauſſas, quas adfert. Cæterum, quòd Ariſtotelem Auctorem agnóſcant, ne quid neglexiſſe videamur, reſponſionem ab eo allatam addemus, quæ his verbis *ab Interprete proponitur*: An quia ſternutatio magis videtur compeſcere incipientes, & quæ ſunt in principio Itaque quando debent incipientibus accidere, maxime avocantur ab operatione. Dies igitur, & Aurora, & quod eſt à mediis noctibus, ſicut principium quoddam eſt; propter quod ominoſum cenſemus tum ſternutare, ne impediamus erumpentem: Poſt meridiem verò, & ad mediam noctem finis veluti quidam eſt, tempuſque illi contrarium. Quare è contrario idem eligibile. *Huc uſque Ariſtoteles.* Sed, ut vana hæc erat obſervatio; ita neque Ariſtotelis reſponſionibus ullum pondus adeſt. Priuſquam caput hoc finio, ex Damaſcio, per compendium exhibito à Photio in Bibliotheca, aliquid de celebratiſſimo Medico Jacobo referre debeo. Is peragrarat τὴν οἰκουμένην ἐπὶ γυμνασίᾳ καὶ κρίσει τῆς τέχνης, *totum terrarum orbem, exercitatione, artiſque judicio.* Quid verò de hoc Jacobo exiſtimari debeat, δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν. Lego quidem de illo ibid. quòd ſuaderet τοὺς πλουσίους ἰατρῶν βοηθεῖν τῇ νοσούσῃ πενίᾳ, καὶ αὐτὸς προῖκα ἰάτρευε, τῷ δημοσίῳ μόνῳ ἀρ-

ἀρκούμενος σιτηρεσίῳ. *Divites hortaretur, ut pauperibus ægrotantibus opem ferrent, cum ipse nulla mercede sanaret, publico frumento contentus.* Quod cum apud nos Medicaſtri de circo facere quoque conſueverint, hactenus hoc ipſum Jacobo commendando parum ſervire poteſt. Quod verò deinceps, de Obſervatione ejuſdem ex ſternutamento, referam, neſcio an arguat hominem ſuperſtitionis, an Magiæ, an verò impoſturæ. Ita autem *per Interpretem Photius*. De Jacobo igitur, quemadmodum & alii, mirabilia dicit, (*Damaſcius ſcil.*) quod audiens mulierem ſternutantem frequentius, omnes amiſerit dentes, hocque ſolo accidente, omnia, quæ ad mulierem ſpectant, & formam, coloremque corporis, & magnitudinem, & in anima quicunque naturæ mores magis convenirent, enunciarit. *Hactenus Photius.* Quæ ut referre volui; ita in medium relinquo, an vera ſint.

CAPUT

Caput Quadragesimum Quartum, ſeu Ultimum.

Sternutatio indecorè exhibita hominem mollem, ceu cinædum, exhibere cenſebatur. Quænam obſervari debeant, ad hoc, ut Sternutamentum civiliter & decore ab homine proceſſiſſe cenſeri queat.

NOn modo Zopyrus, teſte Origene lib. 1. contra Celſum dixit, οἰκεῖα τοῖς ἤθεσι τῶν ψυχῶν πάντ' εἶναι τὰ σώματα, *Omnes animas habere corpora ſibi commoda* : verum etiam Ambroſii Chriſtiani Doctoris verbum eſt : *Mentis habitum in ſtatu corporis cerni.* Quod licet ſemper verum non ſit, cum mens ſit inorganica, nec à corporis diſpoſitione pendeat; ratione tamen hominum, qui mente neſciunt uti, illudque corporis ſervitio mancipant, ut plurimum verum evadit. Adeo, ut dum ipſi actus ſuos, ut hominum actus, juxta certos geſtus exprimere aſſueſcunt, ipſi quoque geſtus, corporiſque motus Mentis neſciæ ſe uti, & corpori, ut oportet imperare, indicium facere poſſint. Inde Dio Chryſoſtomus Orat. 3. varia colligit, quæ μηνύει τὸ ἦθος καὶ τὴν διάθεσιν, *mores intimos atque animi ſtatum indicent.* Ad hæc pertinet quoque, juxta eundem

dem Auctorem Sternutamentum. Ita Orat. 33. quæ prior est Tarsica, commemorat ad quendam Philosophum, qui Physiognomiæ consultissimus habebatur, adductum fuisse hominem corpore durum & squallentem, fusca veste indutum, pilosum & tonsura rusticanum: de cujus moribus cum præsentes sciscitarentur, ipseque ille Philosophus hæsitaret, contigit hominem illum altum sternutare: quo audito Philosophus exclamavit esse *cinædum*, addendo hoc epiphonema: *Hominis mores sternutatio arguit*, τοῦ ἀνθρώπου μὲν ὁ πταρμός ἐξήλεγξε τὸν τρόπον. Non expressit quidem nomen Philosophi Dion, cæterum existimo Cleanthem fuisse, de eo siquidem idem testatur Diogenes Laërtius in illius vita. Dioni, imo Cleanthi astipulatur Clemens Alexandrinus, Author quantivis pretii, cujus hæc verba conversa notantur in illius Pædagogo: *Sternutamentorum imitationes sunt suilli pruritus & confricationes, quæ intemperantem impuramque nequitiam meditantur.* In Græco est: τῶν πταρμῶν οἱ ἐρεθισμοὶ ὑώδεις εἰσὶ κνησμοὶ πορνείας ἀκολάστου μελετήματα. Idem Clemens lib. 2. Pædag. cap. 7. unde & præcedentia desumpta sunt, tria amplius præcepta addit, sedulò observanda ab illo, qui sternutando in morum ἀσχημοσύνην non voluerit impingere. Verba per

inter-

interpretem exhibebo. *Sternutatio*, inquit, *si cui evenerit, sicut etiam ructus, non oportebit sono proximos ciere, qui de mala educatione ferant testimonium.* Subdit paulò post moderandæ ipsius rationem; *Sternutationis qui conturbat strepitus, respiratione leniter repressa ac retenta auferendus est: hac enim ratione quam honestissime fieri poterit, conglobatæ spiritus minæ intus sunt extinguendæ, providendo ut ita transeat, ut etiam cæteros latere conetur, si vi expressus aër aliquod secum excrementum eduxerit.* Tertio illos reprehendit, qui in eo ipso exclamant, *Arrogantiæ autem & insolentiæ signum est, ipsis velle sonis aliquid addere, non autem detrahere.* Quæ ut observanda esse monet Clemens ab omnibus, qui voluerint videri bene educati esse; ita multo curatius observari debent ab illo, qui à morum elegantia commendationem affectat: quam scrupulose verò ab oratore, quem sternutatio non minus turbare, & parum quin de gradu dejicere, quàm tussis solet. Atque hæc quidem hoc tempore de Sternutatione, visum est orbi erudito delicato offerre. Qui schidas meas, ante plures annos de hoc Argumento ad disputandum publicè propositas legerint, mirabuntur me sententiam circa quædam, quæ pertinent ad naturalem Philosophiam mutasse. Sed, quod ratione suadente, veritate verò cogente, hoc egerim, jubeo illos

secu-

ſecuros eſſe. Ariſtoteles ipſe monet lib. 1. Eth. cap. 4. βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας, καὶ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. Certe oportet nos ita veritati eſſe addictos, adverſus quam, teſte Apoſtolo Paulo 2 Cor. 13. nihil poſſumus, ut amore illius non dubitemus noſtra ipſorum decreta inducere atque mutare. Hæc mea eſt ſententia: quam hominum & ronchorum ſecurus, cum Deo, mutabo nunquam. Uni illi Deo, qui hactenus humillimo & indigniſſimo ſuo ſervo à dextris ad eſt, ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula.

FINIS.